5.

APOLOGIA

LEONARDI FVCHSII CONTRA HIEremiam Thriuerum Brachelium, Medicum Louanienſem, qua monſtratur quod in uiſcerum inflammationibus, pleuritide præſertim, ſanguis e directo lateris affecti mitti debeat.

ADIECTA EST MATTHAEI CVRTII *Ticinenſis Medici doctiſſimi cum Neotericis de uenæ in pleuritide ſectione crudita diſceptatio.*

Haganoæ in Officina Petri Brubachij.
Anno M. D. XXXIIII.
Menſe Auguſto.

Cum gratia & priuilegio Cæſareo.

PERITISSIMO

MVLTAQVE RERVM EXPERIENTIA *præduo Iohanni Magebuccho inclytæ urbis Norinbergæ Medico, Leonhardus Fuchſius. S. D.*

NON ERAT CVR LITERIS AD*moneres, ne te ex amicorum meorum albo expungerem chariſsime iuxta ac humaniſsime Iohannes, quum nihil unquam minus in animum uenerit. Nam extra hoc quod nullā occaſionem, quare id facerem, præbueris, nunquam non ſapientiſsimum hoc Solonis dictum animo inſedit,* φίλους μὴ ταχὺ κτῶ οὓς δ᾽ ἂν κτήσῃ, μὴ ταχὺ ἀποδοκίμαζε. *Proinde hoc tibi planè perſuadeas, nullos eſſe quos impenſius odio habeam quàm eos, qui ob leuiſsimam etiam cauſam cōiunctiſsimos olim amicos repudiare ſolent, cum hoc uno ſatis innoteſcat quàm in reliquis quoq; inconſtantes ſint, quanq; facillime ad quemuis auræ paulo immutiorem flatū immutentur. Quid multa? Ego ſanè, ut incertum hoc mihi uſurpem.* Amici haud temere reijciendi.

Γνήσιός εἰμι φίλος, καὶ τὸν φίλον ὡς φίλον οἶδα.
Τοὺς δὲ κακοὺς διόλου πάντας ἀποστρέφομαι.
Οὐδένα θωπεύω πρὸς ὑπόκρισιν· οὓς δ᾽ ἄρα τιμῶ,
Τούτους ἐξ ἀρχῆς μέχρι τέλους ἀγαπῶ.

Quòd autem rarior ſcribendo ſum quàm olim fuerim, locorum diſtantiæ dabis, quæ ut indies literarum uiciſsitudine certemus, haud permittit. Vel ſi mauis, Alpium aſperrimis iugis tribuito, in quibus cum omnis humanitatis expertes degant homines, quid mirum ſi nonnihil barbariei illic contraxerim. Scis enim quàm facile conuerſantium nobiſcum contagium nos impetat. Ne tamen interim dum apud alpinos ago totum tempus ſine fruge abiret, atq; ego planè ocio torpeſcerem, rari enim illic qui Medici opem exoptent, quando quiuis aut crudis rapis, aut lacte unde Alpium incolæ inhumani.

recens extractum butyrum eſt, deniq; cereuiſia paulùlum excalfacta ſibi medeatur: nonnihil operæ in reſtituenda re herbaria inſumpſi, id quod Deo aſpirante, olim uidebis. Verum dum totus in eo ſum negocio, affertur diſceptatio Hieremiæ cuiuſdam Brachelij Louanienſis Medici, uiri non inerudití, ſed frigidiſſimis argumentis in pleuritide ex oppoſito latere mittendum eſſe ſanguinem contendentis. Senties uerum eſſe quod ſcribo, ubi noſtra cum illius diligenter contuleris. Mecum uero cur congredi uoluerit nihil miror, cum Briſſoto autem homine literatiſſimo & in rebus Medicis ad miraculum docto, quem iam dudum eſſe mortuum minime ignorare potuit, cur diſceptarit mirari ſatis non queo. Deterruiſſe debebat hominem tritum hoc omnium in ore prouerbium, cum laruis non eſſe luctandum. Vtinam autem penitius Briſſoti apologiam introſpexiſſet, ita enim paginam non eſſe in ſua diſceptatione deprehendiſſet, cui ille non ſatisfecerit, immo quam non radicitus extirparit. Suſpicio itaq; eſt in gratiam Louanienſium ſophiſtarum Hieremiam iſta effudiſſe, id quod præter friuolas & nullius momenti, quibus paſſim utitur, rationes, authorum etiam patrocinia in ſuam ſententiam miſere detorta ſatis indicant. Accedit quòd turpiter admodum in reuulſionis & deriuatiõis uocabulis hallucinetur, quorum certe genuinam uim, cum linguæ latinæ probe peritus ſit, ignorare non facile, niſi dedita opera, potuit. Huic itaq; ut reſponderem plurimis rationibus motus ſum. Primum ut Briſſoti manibus, quibus perpetuo bene uolo, patrocinarer. Dein ne ſimplices aliquot & mediocriter docti obſcuris Hieremiæ argumentis, dictioniſq́; elegantia ſeducti, in priſtinum errorem, qui multis exitij cauſſa eſſe poſſet, relaberentur. Adde ut me à calumnia, quando non ſemel mendacij inſimulet, defenderem. Et cum bona ſpes ſit de Hieremia, quando in reliquis, quod ſciam, nihil à nobis diſſentiat, ut hoc pacto in meliorem uiam reduceretur. Adiecta quoq; per me eſt diſceptatio Curtij in Italia magni nominis Medici, quam amicus quidam mihi, ut ex prælegente exceperat, obtulit barbaram quidem, at minime ficulnis argumentis utentem. Quem utiq; libellum, ut gratior legentibus, breuiorq́; fieret, paulo latiniorem fecimus, & ſi qua parum ad inſtitutum faciebant, reſecuimus. Proinde ut certum

Briſſoti laus.

Apologiæ cauſſæ.

Matthæi Curtij diſceptatio.

aliquod

aliquod infractæ noſtræ amiciciæ pignus haberes, uolui ut hoc quicquid eſt operis quod in confutandis Hieremiæ *argumentis adhibuimus tuo nomini nuncupatum in publicum prodiret. Et certe cum hæc diſceptandi ratio, non niſi à* Medico *recte aſſequi poßit, æquum fuit, ut tibi cui mecum communia ſunt ſtudia dedicaretur, ut hac ratione non ſolum patroni, uerumetiam iudicis partibus fungereris.* Neq; *enim tuum tuiq; ſimilium, hoc eſt, uere eruditorum, & quibus ſolidæ medicinæ ſcriptores aßidue in manibus habentur, pertimeſco iudicium.* Eos *autem quibus* Arabum *adhuc nugæ nimium placent, pili non facio, quum homines ſint omni iudicio, imò ſenſu quoq; communi deſtituti, quibus certe ut ueterem errorem deponant nemo utcunq; etiam doctus aut perſuadendi artibus inſtructus perſuadebit. Quare nihil conſultius niſi ut hæ peſtes hominum in Anticyras deportentur, ne ſcilicet contagione morbus latius ſerpat, aut ſi aliqua in elleboro ſpes eſt, ut nonnihil purgato cerebro reſipiſcant. Tu itaq; munuſculum hoc meum exiguum licet, at ab amico ſyncero profectum, læta fronte excipias, ita enim ad maiora olim exhibenda me inuitabis. Bene uale. Culmachij quarto calendas Augusti. Anno M. D. XXXIIII.*

Arabum ſectatores.

APOLOGIA LEONARDI FVCHSII CONTRA HIEREMIAM Thriuerum Brachelium Louanienſem Medicum, de miſſione ſanguinis in interiorum uiſcerum inflammationibus.

NON ſatis mirari poſſum, mi Hieremia, qui fiat, ut dum alios pertinaciæ accuſas, quò à animaduerſo errore nondũ reſipiſcere, nec recta monentes audire uelint, teipſum accuſare non intelligas, ut q haud aliter quàm illi cognitæ iam ueritati obſiſtere pergas. Niſi.n. obſtinate reluctaueris, iſtac tua diſceptatione facile abſtinuiſſes, quum diuerſum uel ex uno Galeno ſcire potuiſſes, ſi modo eius monimenta intimius introſpicere, & non perdite in tuam ſententiam torquere uoluiſſes. Proinde non tam acriter accuſandi illi, quibus prioris ſeculi infelicitas, aut præceptorum ignorantia, quo minus hodie uerũ aſſequi queãt obfuit, atq; tu: hi.n. cũ ob imbutã ab ineunte ætate barbariem elegantiores medicæ rei ſcriptores deguſtare non potuerint, atq; adeo ueritatem quam illi ipſi poſteris tradiderunt haud cognouerint, quid mirum ſi ſecus docentibus refragentur? tibi uero qui elegantiores literas non in tranſcurſu attigeris, ueteresq; nonnihil excuſſeris quid patrocinari poßit non uideo. Si multorũ conſenſum, ac longo tempore receptam in medicorum ſcholis conſuetudinem tibi patrocinari putas, cogitandum erit non ſatis iuſtam eſſe cauſſam ad delinquendũ cum multis errare, nec prauam multorumq; malo introductam conſuetudinem diutius ferendam, multo minus imitandam eſſe. Atqui dicis conſuetudinem nihil moror, quod enim ut à ueſtra ſententia diſcedam me uehementer mouet rationum, quas habetis, eſt tenuitas, quæ mea quidem ſen

tentia irritæ

tentia irritæ ſunt, aut nihilo ſecius meam quàm ueſtram aſtruunt, nos ſæpius quàm me cōficiunt. Age uero oſtendamus quàm falſo iſta tibi perſuaſeris, quamq́; multorum de te ſpem eluſeris, qui tantum abeſt ut clauum clauo truſeris, aut authorum à nobis contra te tuosq́; ſequaces citata patrocinia in nos retorſeris, ut nemo poſthac futurus ſit qui non uana te promiſiſſe palàm fateatur. Antequam tamen ad obiecta tua diluenda ueniamus, primum omnium ne ab ignotis, quod tibi contigiſſe manifeſtis argumentis conuincemus, noſtra procedat oratio, quidnam ſit auerſio, quid per longinqua, quidq́; per contraria intelligendum ueniat explicabimus. Idq́; Ciceronis conſilio, qui non temere monet, ut omnis quæ à ratione ſuſcipitur de aliqua re inſtitutio, à definitione proficiſci debeat, ut intelligatur quid ſit id de quo diſputatur. Quod ſi ipſe conſilium ſequi uoluiſſes, nunquam tam infantiliter in reuulſionis deriuationisq́; uocibus lapſus fuiſſes. Auerſio igitur quæ nihil aliud eſt, quàm ſanguinis ad alia loca cōuerſio, ueluti genus eſt ad reuulſionē & deriuationē, uel ut Græci loquūtur, ἀντίσπασιν καὶ παροχέτευσιν, id quod Galenus liquido docet libro 5. Thera. Metho. ita ſcribens, ἀποτρέπεται δὲ καὶ ἀποστρέφεται τὸ αἷμα πρὸς ἕτερα μόρια παροχετεύσει τε καὶ ἀντισπάσει. καὶ ἔστι ταῦθ' ἱπποκράτους εὑρήματα κοινὰ πάσης ἀμέτρου κενώσεως· παροχετεύεται μὲν οὖν εἰς τοὺς πλησίον τόπους, ἀντισπᾶται δὲ ἐπὶ τοὺς ἀντικειμένους. Id eſt, Auertitur autem ſanguis, atq́; ad alia membra cōuertitur tum deriuatione, tum reuulſione. Nam hæc quoq; Hippocratis inuenta ſunt, omnis ſcilicet immodicæ uacuationis communia remedia. Deriuatur ſane ad uicina loca: reuellitur autē ad contraria. Hanc autem differentiam deriuationis & reuulſionis præcipue expreſſit Hippocrates in ſecunda particula ſexti Epidemiωn, aphoriſmo ſecundo, ubi quædam deriuare, nonnulla autem reuellere debere medicum admonet. Reuulſio itaq; ſeu retractio, ſiue græcum mauis nomen antiſpaſis, nihil aliud eſt, niſi humorum in contrarium quàm antea fluebant tractus, uel ut Galenus ait, uacuatio quæ ad contraria fit. Deriuatio autem uacuatio eſt quæ ex ipſa affecta particula, uel ex ea quæ illi eſt ꝓxima fit. Cæterū per longinqua non tam partes ſitu diſtātiſſimæ à loco inflammato, quàm quæ

Auerſio quid?

Reuulſio quid?

Deriuatio

Longinqua

è contrario defluxionis ſitæ ſunt intelliguntur, id quod paulo poſt ſole clarius docebimus. Atq; adeo de diſtantia naturæ potius, perinde ut albū nigro diſtat, quàm poſitionis inaudienda longinqua erunt. Et ut paucis dicam longinqua à contrarijs nihil differunt, reuulſionem enim iam ad longinqua, iam ad contraria fiendā Galenus docens, manifeſte inſinuauit eadem eſſe longinqua & cōtraria, id quod tu etiam fateris. Perinde enim ut longinqua dicuntur, non quæ maxime ab affecta parte diſtant, ſed quæ econtrario defluxionis ſunt: ita & contraria, non quæ magis aut plus diſtant, uerum quæ defluxioni contraria ſunt, & ad quæ humores in diuerſum quàm antea fluebant trahuntur, appellantur. Ex his ſatis liquet errare eos toto cœlo, qui ſuſpicantur reuulſionem non eſſe niſi humor influēs retrahendo ab affecta parte perueniat in oppoſitam & diſtantiſsimam. Nam hoc pacto neq; lapis dicetur deſcendere aut deorſum moueri, aut ad inferiora: ut probe colligit Briſſotus uir nunquàm niſi honoris gratia nominandus, niſi ad infima, & ad mundi medium perueniat, quod dictu abſurdiſsimum eſt. Dicitur enim aliquid moueri deorſum & ad inferiora, quoniam uerſus inferiora, ſiue uerſus mundi medium tendat, non quòd illuc perueniat. Sic & ſanguinis retractio ad longinqua, ſiue ad contraria fieri dicitur, non quòd ad diſtantiſsimas atq; in extreme contrarias partes perueniat, ſed quòd huc tendat.

Reuulſio ſemper ad maxime longinqua fit.

Reuulſio itaq; ſemper fit ad maxime longinqua, & uerſus extreme contraria, id quod ſatis erit, quamuis etiam ad ea non ſemper perueniat. Nam niſi id concedas fatendum erit in pleuritide reuulſionem de crure oppoſito, utpote parte diſtantiſsima & extreme contraria, faciendam eſſe, id quod tamen ipſe ut erroneum in Guaynerio merito carpis. Adde quod ea lege Galeni omnino ſententia damneretur, dum in libro de ſanguinis miſsione reuulſionem è directo factam commendat, ut eam quæ euidens iuuamentum celeriter oſtendat.

Ad reuulſionē certa quædam diſtantia requiritur.

Requiritur tamen ad reuulſionem certa quædam diſtātia, quòd ex nimia uicinitate tollatur retractionis commoditas, quoniam non relinquitur ſpacium ut in contrarium uertatur excretoriæ facultatis impetus. Quamuis quid attinet iſta monere, cum euacuatio quæ ex laborante particula aut ualde uicina fit non reuulſio, ſed ut diximus, deriuatio dicatur. His ita prælibatis

ad nobis

ad nobis obiecta ordine reſpondebimus, incipientes à loco Galeni; quem ex decimo tertio therapeutices libro contra nos producis. Verba Galeni hæc ſunt. Siquidem ſi iam febricitet æger, nec exercitatione uacuare ex uperantiam licet, nec unctione quæ excalfaciat: ſed nec multa frictione, nec balneo, imò ſanguinis miſſione, unà cum inedia, uel purgatiõe aliqua. At ſi nondum febricitat, omnibus iam dictis utare, optimum quodq; ad id quod inſtat deligens. Illud enim patere, uel me tacente arbitror, eum cui crura phlegmone laborant, non eſſe uel ambulatione, uel curſu exercitãdum, ſed nec ſtare illi eſſe iubendum, imò ſedenti plurimum fricari, mox manuum motu exercitari illi eſt ſatius. At ſi cui in ſupernis cœperit pars aliqua phlegmone tentari, huic motus ex inambulatione aut curſu eſt ſalutaris. Similiter & frictio his quidem ea potior eſt, quæ cruribus adhibetur: illis, quæ in ſupernis partibus adminiſtratur. Quippe præceptum in contrarium reuulſionis, in omnibus tale cõmune eſt. Neq; igitur quum uel circa ſedem, uel aliquam huic uicinam partem initium phlegmonis incidit, aluum deijcies. Neq; quum in ueſica, uel colo, uel renibus cœpta, pharmaca quæ urinas prouocent, bibenda dabis. Nec ſi mulieri in utero uel pudendo inſedit, menſes huic prouocabis: ſed ad partes quæ maxime longinquæ ſint, ſemper reuulſionem facies, æſtimata ſcilicet tum phlegmones magnitudine, tum corporis totius ſtatu. Hactenus Galeni uerba bona fide recitauimus, ut ex ijs facilius æquus lector genuinum ſenſum diſceret. Liquido autem conſtat ijs uerbis Galenum aliud uelle nihil, niſi ut moneat medicum quo diligenter admodum caueat, ne in phlegmonum initijs exercitijs aut medicamentis ad laborantem phlegmone partem humorũ præter naturam fluxum trahat, quando ea uicinam phlegmonem irritare, atq; adeo calorem, dolorem, ac defluxionem augere nata ſint. Id quod ex paulo poſt ſequentibus euidentius apparet, ubi in hunc modum ſcribit. Non ratio ſolum, uerum etiam uſus ipſe indicat aliam alij parti uacuationem congruere. Siquidem ex ijs quibus oculi phlegmone tentari cœperant, nonnullos ſola purgatione per aluum, uno die ſanatos uidiſti. Quã rem ſi quis in iocinore cũ phlegmone laborare incipit, tentet, maximã excitabit phlegmonem: æque ut ſi quum in renibus aut ueſica incipit, quæ

„ urinas cient, exhibeat, aut ſi quum uterus phlegmone laborat, menſes de
„ uocet. Siquidem longiſsime à tentata fluxione parte reuellere, nequaq̃ ad
„ eam trahere cõuenit. Hac itaq; ratione, nec ſi uentrẽ aut inteſtina phleg
„ mone occupare iam cœperit, medicamine quod aluum deijciat uti conue-
niat. Quibus ſane uerbis id quod iam diximus, nimirum medicamentis ad
partem affectam trahendum non eſſe, manifeſte confirmat, ita ut ſatis mi
rari non queam, cur ijs Galeni uerbis noſtram ſententiam oppugnari exi
ſtimes, qui ingenue tecum fatemur à tentata phlegmone parte reuellendũ
eſſe, & nequaquã ad eam trahendum. Proinde nihil opus eſt, quemadmo
dum tu temere putas, nos hic uarias euadendi occaſiones quærere, qui ſi
contentioſi eſſe uelimus, Galenum de purgatione tantum quæ fit medica-
mentis, quæ calefaciendo, irritandoq; affectam partem lædunt locutum eſ
ſe dicere poſſemus. Verum cum id abunde præſtiterit Briſſotus, non eſt
quod denuo tentemus. Deniq; nihil opus ut hic digladiemur num uena op
poſita, ſit ea quæ è directo lateris affecti eſt ſemotior, nam eandem eſſe di
ſtantiam ab affecto loco ad utraſq; Briſſotus, reconditæ eruditionis uir, ſa
tis monſtrauit. Illud potius excutiendum erit, ſi præceptum hoc Galeni
de auerſione in maxime longinqua ad ſanguinis miſsionem transferri poſ
ſe demus, num ideo noſtram ſententiam exploſam uelit. Diuerſum certe
tibi monſtrabimus, idq; ubi effecerimus ſenties quàm pulchre præceptorũ
Galeni ſenſum aſſequamur, quãq; tu toto cœlo aberraueris, ficulnoq; cla
uo nos tentaueris. Venæ ſectionẽ quæ è directo partis affectæ eſt reuulſi-
onem eſſe ex nominis ratione paulo ante adducta ſatis conſtat, uacuatio
enim quæ ad contraria fit exiſtit, in contrariumq; quàm antea humores
fluebant trahit. Trahere uero in cõtrarium manifeſtum inde eſt, quia ſan
guinem in uenas reuellit, & quod maximum eſt, ab interioribus ad exte-
riora euocat, quem nimirum reuulſionis modum Galenus etiam in pecu-
„ liari de reuulſione commentario apertiſsime agnoſcit, dum ait. In ſumma,
„ reuulſio molienda eſt humoribus ſurſum fluentibus, deorſum: deorſum ue
„ ro in contrarium: intro autem uergentibus foràs. Et rurſus lib. 5. medendi
„ methodi. Antiſpaſis ſiue reuulſio in ijs quæ ſupra ſunt omnibus, deorſum
„ ſemper agitur, ſurſum in ijs quæ ſunt infra. Præterea à dextris ad ſini-
ſtra, ſicut

Ab affecta parte reuellendum.

Venæ ſectio ex affecto latere eſt reuulſio.

ſtra, ſicut ab his rurſus ad illa Similiter ex ijs quæ intus habentur, ad ea ,,
quæ foris ſunt, contraq; ab his ad illa. Et quid multis moror, retrahitur ,,
per dictam uenæ ſectionem humor ab eo loco ad quem natura incommo-
de pellit, ad eum locum ad quem natura commode tendit, quæ nimirũ eua
cuationis reuulſoriæ optimæ conditionis ſunt. Atqui obtrudes forte Gale Obiectio.
num qui in expoſitione 68. aphoriſmi libri quinti, eam cum cæteris non
expreßit, atq; adeo in numero reuulſionum non habuit. Sed dicimus quã
uis eam obmiſerit, non tamen propterea ſequi quòd in numero reuulſio-
num nõ habuerit, cum nihil ſermoni ſuo adiecerit quod illam excluderet,
ſed potius ſub generali reuulſionis deſcriptione eam uideatur comprehẽ
diſſe, reuulſionem eſſe dicens, uacuationem quæ ad cõtraria fit. Quod ſi
tamen contendas, id quod minime poteris niſi ſibi pugnantem feceris Ga-
lenum, omnem reuulſionem ſub triplici illa diuiſione fuiſſe comprehen-
ſam, dicamus hanc de qua loquimur, uel à dextro ad ſiniſtrũ, ſi in ſiniſtra
parte fuerit phlegmone: pars enim ſiniſtra brachio eiuſdem lateris com
parata ad dextram partem uergit: uel è contrario, ſi in dextra reuulſio-
nem facies: atq; ita ad ſecundum genus, inibi recitatum, hoc eſt, ad eam
quæ ſecundum latitudinem fit, eſſe reducendam, & inter reuulſiones om
nino computandam. Sed inſtabis, uenæ ſectio quæ è directo partis affectæ
fit ſanguinem in inflammatione contentum euacuat, ergo reuulſio mini-
me dicenda. Sequelam certe hanc non agnoſco, neq; enim inuicem pugnãt Reuulſio &
reuulſio & uacuatio, cum iuxta Galenum lib. 13. thera. metho. ſectio inte uacuatio non
rioris uenæ dextri cubiti, ſanguinem qui ad iecur fertur ſimul uacuet & pugnant.
retrahat, & ſit ſemper eo inflammationem pati incipiente facienda. Ver
borum ſeries tota hæc eſt. Quoniam uero (ut ſemper teſtati ſumus) non ,,
ſatis eſt ipſa tantum uniuerſalia nouiſſe, niſi quis etiam in particularibus ,,
ſe exerceat, ita utiq; & nos nunc faciamus: non tamen omnia particula- ,,
ria percurrentes, ſed ea tantum quæ nobis neceſſaria lectori uidebuntur. ,,
Proponatur itaq; iecur iam phlegmonem contrahere cœpiſſe: tum quæ ,,
nam mali eius commodißima ſit curatio quæratur. Omnium ergo primũ ,,
ab ijs quæ retuli incipiens, an totum corpus inanitione indigeat, conſyde ,,
rabis. Quod ſi indigere inueneris, mox ægri uirtutem æſtimabis, poßit ,,

ne ſemel iuſtam uacuationem tolerare. Primum ergo ualida uirtus eſto. Ab hac æſtimabis ætatem. Nam ſi puer ſit, quæ per deſectam uenam fit (ut ſupra eſt monſtratum) uacuationem non feret. Verum quum pubertatem attigerint, iam pueri miſsionem ſanguinis tolerant. Ergo pariter tum reuellendus tum educendus, qui ad iecur fluit ſanguis eſt, interna in dextro cubito inſecta uena: propterea quod & è regione, & ampla uia cum uena quæ caua dicitur, ſocietatem habet. Hæc Galenus. Et ne diuerſum fieri in pleuritide dicas, ecce alium tibi Galeni locum obtrudam, in quo euidentiſsime uenam quæ è directo in pleuritide ſecatur, & reuellere & euacuare adſtruit. Locus eſt in 2. lib. de ratione uictus in morbis acutis, cōmentario decimo, ubi in eum modum ſcribit. Conſtat Hippocratem euacuare humores phlegmonem efficientes, per ea loca ad quæ uergunt. Hoc enim uniuerſaliter uerum eſt quod ab eo dicitur. Quæ euacuanda ſunt, eò duci debent, quo natura commode tendit. Id autem ſæpenumero euenit, & uarie quidem, pro uarietate partium membranæ coſtas ſuccingentis. Affectis enim ſuperioribus eius partibus, conſentit, condoletq́; iugulus, brachium, mammilla. Inferioribus autem ſeptum tranſuerſum & hypochondria. Quum ergo dolor extenditur ad ſuperiora, ſecanda eſt uena in cubito, quæ ſanguinem à laborante particula copioſe ac celeriter reuellere & euacuare poßit. φλέβα χρὴ, ait, τέμνειν ἐν ἀγκῶνι τὴν μᾶλλόν τε καὶ θᾶττον ἀπὸ τοῦ πεπονθότος μορίου δυναμένην. ἀντισπάσαι τε καὶ κενῶσαι τὸ αἷμα. Ne quis uero internam uenam oppoſiti brachij intelligere queat, facit id quod Hippocrates in 4. lib. & Galenus ibidem commenta. 67. internam uenam brachij ſecandam eſſe ab eo latere quod dolore affectum fuerit monſtrent. Quælibet itaq; uenæ ſectio eſt uacuatio, non tamen ſemper reuulſio, ſed tunc à reuulſionis ratione cadit, quum uel ex ipſa, ut diximus, patiente particula fit, uel illi proxima, & deriuatio dicitur. Proinde nihil prohibet quin ambo, reuulſio nimirum atq; ſanguinis inflammationem facientis uacuatio, ab una uenæ ſectione, prouenire ualeant. Nec obſtat illud Philoſophorum, quòd ſcilicet ab uno quatenus unum eſt, non poſſunt uarij effectus prodire, non tantum enim duo illi, ſed & doloris, tußis, difficilisq́; ſpirationis ablatio, &

Deriuatio.

latio, &

latio, & alij multi effectus, ex una uenæ ſectione poterunt prouenire.

Quid multa? quomodo illud Philoſophorũ intelligendum ſit hoc loco non diſcutiemus, ſed ſatis ſit nobis noſſe, quòd ex uno præſidio multi poſſunt in medicina boni effectus conſequi, ut ex cauſæ ablatione, morbi & omnium quæ ex eo ſequuntur ſymptomatum ablatio. Sed dices ſi eadem uenæ ſectio ſimul uacuat & reuellit, ſequitur ut idem eiuſdem reſpectu ſit propinquius & diſtantius, id quod impoßibile exiſtit. Reſpondeo minime, non enim procedit niſi ſuppoſito uno, quod cõſtanter negamus, quòd euacuatio & reuulſio in eo differãt, quòd hæc à longinquo fit, illa ex propinquo, & hæc euacũat, illa reuellit. Paulo enim ante oſtendimus, quamlibet uenæ ſectionem eſſe uacuationem, auerſionemq́; ueluti genus ad reuulſionem & deriuationem fore. Hinc cum uenæ ſectio in cubito edirecto in pleuritide facta, quocunq; tempore fiat, ſemper ſit reuulſio, quia ſemper ad longinqua trahit, propterea minime ſequitur, quod idem ſit propinquius & remotius, quod utiq; ſequeretur, ſi eandem uenæ ſectionem eiuſdem reſpectu fateremur, quemadmodum tu paulo poſt non ſine pudendo errore facis, ſimul eſſe reuulſionem & deriuationem. Iam itaq; ſatis ſuperq́;, niſi ſtupidus planè aut ſaxeus ſis, tibi euidentißimis argumentis oſtenſum eſt, uenæ ſectionem quæ edirecto affectæ partis fit, inter reuulſionis genera merito connumerandam eſſe. Cæterum ſi reuulſio eſt, ad maxime longinqua fiat neceſſe eſt, ad contraria enim fit. Maxime nanq; longinqua ipſe met fateris uocare Galenum, quæ in quinto thera. longinqua ac contraria nominauit. Verba tua ne per calumniam quis me te reprehendere putet ſubijciam. Atq; ita conſyderantibus hoc facile in mentem illis ueniſſet, quod ea hic maxime longinqua uocauit, quæ in quinto thera. ſurſum, deorſum, dextrorſum, ſiniſtrorſum dixit, quæ ibidem etiam longinqua appellauit, eiſdem exemplis explicauit, & contraria nominauit. Hactenus uerba tua recenſuimus, ex quibus omniũ liquidißime conuincemus reuulſionem, quæ per uenæ ſectionem edirecto factam, ab interioribus ad exteriora fit, inter maxime longinqua connumerandam eſſe. Si enim Galenus ſurſum, deorſum, dextrorſum, ſiniſtrorſum, longinqua dixit, negare non poteris quin & reuulſio quæ fit ab interioribus

Ex uno præſidio multi poßunt effectus cõſequi.

Obiectio.

Eadem uenæ ſectio nõ eſt ſimul reuulſio & deriuatio.

Reuulſio fit ad maxime longinqua.

ad exteriora inter longinqua ſit numeranda, quũ intrò, foras, iam dictis cõnumeret, minimeq́; ab illis ſciungat, quẽadmodũ ex Galeni uerbis, quæ ſupra ex. 5. thera. citauimus, facile deprehendi põt. Quamuis, per Apolli nem precor, quid longinquius dici poteſt quàm extra corpus? atq; hinc manifeſtiſſimum fit reuulſionem quæ edirecto fit æque ac illam quæ ex oppoſito ad longinqua fieri. Atqui dices fateor utramq; ad longinqua fie ri, attamen ea quæ à dextris ad ſiniſtra, uel contra à ſiniſtris ad dextra fit, ei quæ edirecto eſt præponenda. Id certe tibi oſtendendum erat, neq; fruſtra in re confeſſa, nempe quòd omnis reuulſio in maxime longinquum fieri deberet, uerba perdere. Quapropter antequam ad reliqua tua obiecta reſpondeamus, diuerſum potius monſtrabimus, quod nimirum re uulſio quæ edirecto fit, oppoſita in interiorum membrorum inflammatio nibus multis modis ſit præferenda.

Reuulſio edi recto facta ei quæ ex oppo ſito fit præfe renda.

Supra monuimus hæc uerba Galeni, ὠθὶ τὰ πορρώτατα, id eſt, ad longiſſima, & πορρωτάτως, hoc eſt longiſſime, non tam ſignificare ad partes ſitu diſtantiſſimas à loco inflam mato, quàm in diuerſiſſima & econtrario quàm fieret defluxio facien dam eſſe retractionem.

Diſtantia na turæ potius q̃ poſitionis re quiritur.

Proinde diſtantia potius naturæ quàm poſitio nis ad reuulſionem requiritur, quamuis poſitionis non omnino negligen da ſit. Non requiritur tamen extrema, quum aliàs nec tua reuulſio quæ ex oppoſito fit brachio locum haberet, ut qua ea quæ in oppoſito crure exi ſtit magis diſtat. Non oportet itaq; omnem reuulſionem peruenire ad diſtantiſſimas partes, ſed ſufficit eandem fieri contrario modo, quàm fit defluxio Hinc etſi non ſemper per diſtantiſſima, ſed per media quæ ſunt propiora, quàm quæ maxime diſtant, fiat reuulſio, nihilominus tamen ſem per uerſus contrarium quàm fit defluxio, atq; adeo maxime longinquum fieri dicitur, haud aliter, ut antea quoq; diximus, quàm lapis qui deorſum quidem ferri dicitur, tametſi per modicum tantum ſpacium, neq; ad infi ma perueniat.

Tractus & repulſio quo modo à natu ra expedite fit.

Ita in ſanguinis de naribus profluuio inciſa cubiti uena, ad hibitisq́; hypochondrijs cucurbitulis, retractio fit uerſus inferiora, non tamen ad infima uſq;. Cum autem tractus & repulſio humorum à natu ra optime & expedite fiant eo modo quo uenarum ſtamina, uilli ſiue fi lamenta procedunt, fit ut eam reuulſionem quæ edirecto fit ei quæ ex op poſito

*poſito eſt præponamus. Idq; in interiorum uiſcerum maxime inflamma-
tionibus, in quibus retractio ex diſtantiſsimis & oppoſitis partibus ſatis
eſſe non poteſt. Mouet enim totam humorum molem totius corporis, an-
tequàm quicquàm euacuando retrahat a loco inflammato, idcirco non ni-
ſi tarde & imbecilliter à loco dolente retrahit, & proinde ſi paulo ue-
hementior fuerit defluxio, uix ſiſtere eam poterit, nedum euacuare à lo-
co dolente, ſed neq; defluxionis cauſſam aufert, cum ſit in loco ipſi inflam
mationi uicino, proinde & ſi diſtantiòr retrahatur, uicinus tamen ſectio-
ni ſanguis ſolum euacuatur, remanente prauitate humanorum, calore,
& dolore, quæ poſtea iterum ad defluxionem mouendam inſurgunt.*

*Adde quod per uenæ ſectionem quæ ex oppoſito fit ſanguis proximus,
qui optimus eſt, ſolum uacuatur, & in eius locum paulatim tranſit uitio-
ſus, atq; adeo uires euacuantur, & à morbo nihil leuatur, ſed periculum
imminet tranſitionis morbi in alterum latus. Et quod omnium maximum
eſt, ſi altera ſanguinis miſsio, quæ e directo fit, ſubſequatur, tum iterum
pars uitioſæ materiæ aliò translata ad phlegmonem retrahitur, nec eua-
cuatur, quemadmodum Briſſotus, uir longiori uita dignus, in libello ea-
de re conſcripto, non minus erudito quàm modeſto, multis uerbis ante me
monſtrauit. Hinc eſt quod Galenus noſtram ſententiam manifeſte adſtru-
ens in commentario decimo ſecundi libri de uictus ratione in morbis acu-
tis ita ſcribat: Venæ ſectio undecunq; fiat euacuat à toto animalis corpo ,,
re, non tum uelociter neq; æqualiter ex omnibus uenis. Noſtra autem in- ,,
tentio ſtudiumq; cóuertitur, ut à loco phlegmonem patiente, plus ſangui ,,
nis ac celerius euacuetur, quàm à reliquis corporis partibus, præſertim in ,,
morbis acutis, quod aſſequemur ſecta uena interna, quæ baſilica dicitur. ,,
Et rurſus in libro de curandi ratione per ſanguinis miſsionem in hunc mo ,,
dum: Quemadmodum in alijs quæ hactenus definita ſunt effeci, ut ſcili- ,,
cet mentem meam uobis exponerem, qui eam à rebus ipſis probari uidi- ,,
ſtis, idem nunc quoq; faciam, ſumpto initio ab his quæ quotidie in ægro- ,,
tantibus uidentur. Quæ quidem primus Hippocrates diligenter obſerua- ,,
ta, memoriæ prodidit. Eſt uero eorum hoc unum primumq; caput. Qui- ,,
buſcunq; κατ’ ἴξιν eruptio ſanguinis accidit, ſummum id commodum ,,*

ægrotantibus affert. Quod autem κατ' ἴξιν dicat, pro eo quod eſt edi- recto uel in rectum, omnibus in confeſſo eſt, quum frequenter hac uoce κατ' ἴξιν in hoc utatur ſignificatu. Quibus uero contra euenit, nihil iu uat, aut etiam interdum nocet, quod uires ſcilicet citra morbi leuamen de- ijciat atq; exoluat. Non enim in liene tumido ex dextra nare erumpens ſanguis, nec in iecore ex ſiniſtra ullam affert utilitatem. Quinetiam reuul ſio edirecto adhibita euidentem utilitatem celeriter oſtendit, at econ- uerſo, nequaquam. Dextra igitur nare ſanguis erumpens, ad dextrum hy pochondrium fixa cucurbitula, clare celeriterq; ſiſtitur, ſicuti ad ſiniſtrũ, ex ſiniſtra erumpens. Porrò reuulſionis cauſa ſi uenam ſeces, in directe quidem oppoſitis ſanguinis eruptionibus, citiſſime conſpicuam uidebis utilitatem. At ſi contra ſeces, nihil profuerit. Multum enim iuuat afflictũ lienem ſanguinis ex ſiniſtro brachio detractio. Subiungit non ita multo poſt Galenus. Quin & pleuriticis, quæ edirecto affecti lateris adhibita fiut ſanguinis miſsio, clariſsimam ſæpenumero utilitatem oſtendit, quæ ue ro ex brachio oppoſito, aut omnino obſcuram, aut certe tardam. Adhæc oculorum perſæpe dolores grauiſſimos edirecto uenæ quam humeralem nominant, ſectio intra horæ unius ſpacium compeſcuit. Paulo poſt ſub- dit. Adeo perſpicuam ſæpe celeremq; utilitatem, quæ edirecto affectis partibus uenæ ſecantur afferunt, ut & ægrotantes ipſi, & familiares ipſorum ſæpenumero obſtupeſcant. Quibus Galeni uerbis quid lucidius, quid apertius eſſe poſſit non uideo, adeo ut niſi quis ſtipes fuerit, iam in- telligat Galenum ſtatim ab initio morbi uenam affecti lateris, non autem oppoſiti incidere. Non eſt itaq; is locus anceps, ut tu in fine fermè tuæ diſceptationis ineptiſſime garris, id quod paulo poſt oſtendemus, ubi pri- mum quæ obijcis confutauerimus. Dicis Galenum initio eius loci de ſan- guinis eruptione, non tanquam reuulſorio, ſed iudicatorio auxilio locu tum fuiſſe, quod ut tibi donemus, qua fronte aſſerere audes reuulſionem aliquando cum deriuatione incidere, cum id ſanè impoſſibile ſit, quemad modum enim idem eiuſdem reſpectu, ut antea monſtrauimus, remotum & propinquum eſſe non poteſt, ita nec reuulſio & deriuatio, cum hæc ad uicina, illa uero ad longinqua fiat, ita perpetuo in reuulſionis & deri- uationis

Reuulſio cũ deriuatione nõ coincidit.

uationis uocabulis hallucinaris miſere. Fac itaq; Galenum *de ſanguinis eruptione tanq̃ iudicatorio auxilio locutum*, *qui fit ergo ut cum naturæ excretiones ſanguinis utiles, ſemper è directo fieri uideas, & medicũ naturæ eſſe miniſtrum & imitatorem ſcias, ut hanc in extrahendo ſanguine uitioſo non imiteris?* Ecce *ut irretitum teipſum feceris*. Iterum *inquis*, Galenum *euacuantem à liene potius uenam, quàm reuellentem inquiſiſſe, imò ſimul utramq;, quæ ideo oppoſita melior eſt, quia nõ ſolum euacuat, ſed etiam à loco affecto reuellit, neq; enim pugnant, ut ſupra diximus, reuulſio & euacuatio, quemadmodum tu putare uideris.* Quid *multa? nõ ſolum* Galeni *uerborum ſeries, uerumetiam exempla quæ ſubiunguntur manifeſte oſtendunt eum de reuulſione, quæ è directo fit, hic locutũ eſſe.*
Id quod confirmant ea quæ ſcribit lib. 2. ad Glauconem. F*luentium igitur* ,,
humorum, retractio: ſic enim Hippocrates *nominat: eorũ autem qui iam* ,,
membrum obſederunt, deriuatio medela eſt. V*trunq; autem euacuationis* ,,
genus per communes uenas fieri præcipit. Et *paulo deinceps.* Et *ſi quidẽ* ,,
pars dextra uteri affecta fuerit, à dextra manu aut crure ſanguinẽ detra ,,
hes: ſi uero in ſiniſtra, à membris quæ illi è directo ſunt. Q*uod. n. ab ipſo* ,,
κατ' ἴξιν *dicitur, hoc ipſum eſt ſecundum rectitudinem.* Interiores *autẽ* ,,
uenas incidere oportet: hæ enim uiciniores magisq; è directo ſunt patien ,,
tibus membris. Nam *ſi ſplene inflammationem patiente ſanguinem uis eua* ,,
cuare, interiores in manu ſiniſtra uenas ſecato: & ſi hepate, eadem rati ,,
one in dextra. Si *quid uero ex ſuperioribus inflammationem habuerit, ue-* ,,
luti in iis affectibus quos Greci Synanchas *& ophthalmias uocãt, & qui* ,,
cunq; alij capiti aduenerint, eas quæ extrinſecus ſunt atq; è directo. Pati ,,
entibus uero membris extremis à coniunctis euacuatio fienda, ſiue reuel ,,
lere uelis, ſiue deriuare. Ex *quibus uerbis ſole clarius innoteſcit,* Gale- ,,
lenum reuulſionem quæ à cõiunctis atq; adeo è directo poſitis uenis, huic quæ ex oppoſitis fit, præferre, quòd hæc ipſa uires deiiciat, & exoluat citra morbi leuamen. Et *quum ſola, niſi poſt eam ex eodem etiam latere detractus fuerit ſanguis, nihil proſit, imò tunc etiam omnium maxime, q̃ uitioſum ſanguinem iterum, ut ſupra diximus, in affectam partem trahat, obſit, nobis hoc nomine quæ è directo fit reuulſio magis deligenda, quòd*

noſtratia corpora ſint ferè crebræ uenæ ſectioni parum aſſueta, nec copioſam ſanguinis miſsionem ferant, quum è diuerſo Galeno libram ſanguinis euacuaſſe parū ſit, qui auſus eſt: ut ex libro de curandi per ſanguinis miſsionem ratione conſtat: totas ſex libras ſimul uacuare. Quis itaque dubitet longe conſultius eſſe cum Hippocrate atq; Galeno unica ſanguinis detractione, quàm ſæpius repetita, nempe nunc in oppoſito, nunc uero in latere affecto aperta uena, efficere quod poſtulas, præſertim quum poßis multo expeditius tum ſecurius? Quod ſi tu atq; tui ſimiles faceretis non tā male paßim audiretis quod ſæpius iterata per uos ſanguinis mißione tot pleuritide affecti perijſſent. Iam arbitror ſatis tibi monſtrauerim, reuulſionem quæ è directo fit, oppoſita eſſe & ſecuriorem et meliorem. Quod ſi idem tibi exemplis demonſtrari cupis, age legito quæ ſcribit Hubertus Barlandus, uir non minus doctus quàm eloquens, & ante hunc Briſſotus, & dubio procul uoti compos eris. Nos ad reliqua tua refellenda pergemus. Obtrudis non tantum è uicino purgationem, ſed & inciſionem aliunde ad affectum lòcum materiam rapere, quo nullum eſt præſentius, neq; aliud malum exitioſius. Si inciſionem è uicino uocas eam quæ fit in parte affecta, aut illi proxima, recte ſentis. Nam & Galenus cap. 95 artis medicæ, ubi corpus plus æquo plenum fuerit per patientem locum minime euacuandum eſſe monet. „ Quod ſi ſcarificationibus aut ſe„ctionibus ſenſibiliter euacuabimus, plus ratione excitati doloris attrahe„mus. Nos uero ut cōmode fiat retractio, neq; ex ipſa parte dolente, neq; ex contigua uehementer per conſenſum condolente, ſanguinem eſſe detrahendum ſtatuimus, ſed ex uena quæ è directo eſt, quæq; coniuncta ſit, originemq; habeat cum uena quæ partem affectam alit. Quod ſi iterum diſtantiam cauſaberis, eoq; nomine longè longè à loco affecto auertendum eſſe clamabis, nos contra foràs foràs à corpore, quod omnium longißimum eſt. Porrò quod ad Cornelij Celſi locum attinet, quem haud ſatis fideliter à Briſſoto citatum aſſeris, id ſcias te effeciſſe, ut poſt hac omnes nos ueraces, Hieremiam uero mendacem fuiſſe intelligant. Nam ſcribis Celſum antiquorum de reuulſione in maxime longinquum præceptiones à phlebotomia minime ſeparaſſe, ſed tantum non recepiſſe. Quomodo non ſe-

Quæ inciſio ad locum affectum humores trahit.

Cornelij locus explicatur.

do non ſeparat, qui non ſolum non recipit, uerumetiam falſum eſſe aſtru
it? Quamuis Celſus non antiquos, ut tu perperam affirmas, ſed aliquos,
forte indoctos Medicos & chirurgos, eò loci perſtringat, qui uſum po
tius quàm rationem ſecuti, id quod tu etiam facis, in diſtantiſsimis à loco
affecto locis ſanguinem mittere tentarunt. Et uerba eius ſubijciemus.
Neq; ignoro inquit, quoſdam dicere quàm longiſsime ſanguinem inde, *Lib. 2. cap. 9.*
ubi lædit eſſe mittendum. Sic enim auerti materiæ curſum, at illo modo ,,
in idipſum quod grauat euocari. Sed idipſum falſum eſt. Proximum ,,
enim locum primo exhaurit, ex ulterioribus autem eatenus ſanguis ſe= ,,
quitur, quatenus emittitur. Vbi is ſuppreſsus eſt, quia non trahitur, ne ,,
uenit quidem. Videtur tamen uſus ipſe docuiſſe, ſi caput fractum eſt, ,,
ex brachio potius ſanguinem mittendum eſſe. Si quod in humero uitium ,,
eſt, ex altero brachio, credo quia ſi quid parum ceſſerit, opportunio= ,,
res hæ partes iniuriæ ſunt, quæ iam male habent. Hactenus Celſi lo= ,,
cum integrum adduximus, in quo certe nemo non, niſi talpa cæcior ſit,
uidet tuam potius quàm noſtram à Celſo damnari ſententiam, ut qui ni
hil habeas quod tibi ſuffragari poſsit præter uſum, qui ut plurimum à ue *Vſus ut pluri*
ritate, in medicina præſertim, hocq; ſeculo, deuiat. Sed ut id uno atq; al *mum à uerita*
tero exemplo oſtendamus, nonne hactenus uſus apud omnes fermè me= *te deuiat.*
dicos obtinuit, ut podagra affectis quauis hebdomada, imò alternis fer=
mè diebus, catapotia deuoranda exhiberent? Hunc tamen uſum ipſe me
cum ut pernicioſum merito damnas. Nonne deniq; hactenus omnium bar
barorum medicorum libri nobis tanquàm infallibile decretum, ut cœna *Cœna pran=*
prandio minor eſſe præſcripſerunt, hoc tamen tu mecum falſiſsimum eſ= *dio maior.*
ſe, his exemptis qui morbis nocturnis, catarrhis & alijs id genus affli=
guntur, contendis. Non ſatis itaq; mirari poſſum, cur hoc loci ad uſum
tanquàm ad ſacrum ancoram confugias. At ita ſolent ad quæuis potius
deflectere, qui recta ire nolunt. Neq; eſt quòd tibi patrocinetur Celſus,
eo quòd ait ex altero brachio, ſi quod in humero uitium eſt, ſanguinem
mittendum eſſe, nam ut omittamus quod nobis tecum nulla de externis
inflammationibus diſceptatio ſit, nonne maxime tuam ſententiam detur
bat quod mox ſequitur, nimirum id ideo tentaſſe quoſdam, quòd ſi quid

parum ceſſerit opportuniores has partes iniuriæ duxerint, quæ iam male habent: hoc ſi itidem in interiorũ membrorum inflammationibus dixeris, quid quæſo abſurdius dici poteſt? nam illa quàmprimum ab iniuria uindicare omnium conſultiſsimum eſt. Non poteris itaq; eandem differentiam inter hepar & latus, aut ut rectius dicam, coſtæ membranam obiectare, quod utrunq; membrum internum ſit, neq; alterum, ut humerus, externum, proinde ambo etiam quàmprimum ab iniuria medico uindicanda ueniunt, id certe quod fiet quemadmodum ſupra oſtendimus ſectione uenæ internæ quæ è directo eſt. Habes itaq; rationem quare dextra coſta potius quàm dexter humerus, ad dextram reuulſionem requirat. Deniq; non eſt ut glorieris te non ſolum authoritate, ſed & ratione omnem in maxime longinquum, fieri debere reuulſionem monſtraſſe, cum id nihil opus erat, præſertim ſi, ut antea diximus, per ea contraria, & non quæ maxime diſtant intellexeris, hoc enim ſenſu donauimus tibi omnem reuulſionem fieri debere ad maxime longinqua. Deniq; ridiculum eſt quòd non æquam eſſe coſtæ hepatiq; contrarietatem ex libro quinto Galeni de tuendo ſanitate oſtendere conaris, cum tamen Galenus ibidem ne uerbo quidem miſsionis ſanguinis meminerit, ſed tantum quòd imbecillibus partibus exercitia nunime iniungenda ſint docuerit. Et cum omnimoda quies corpori non parum incommodi afferat, medico quæ membra, alijs affectis, exercitanda eſſent, ad queq; eorum ſuperuacua reuellenda eſſent indicauit. Porrò locum hunc, ſi probe expendas, tibi unice pugnare comperies. Nam ſi partes quæ circa thoracem ſunt, magis inferiorum exercitatione iuuantur, quia illis contrariæ ſunt, igitur etiam earundem uenarum ſectio ijs partibus phlegmone laborantibus prodeſt, atq; adeo in pleuritide crus potius oppoſitum quàm brachium incidendũ erit. Vide in quas anguſtias te detruſeris. Multo itaq; cõſultius fuiſſet, ſi ex qua parte ſanguis mittendus eſſet inflãmatione laborantibus mẽbris demonſtrare uoluiſſes, ut idipſum nõ ex libro de tuenda ualetudine exercitationum exemplo, ſed potius ex libro de ratione curandi per ſanguinis miſsionem, ubi Galenus hanc rem ex profeſſo tractat, feciſſes. Is enim ubi omnem uenæ ſectionem e directo laborantium partium fieri debere do

Interna membra dico ab iniuria uindicanda.

Quo ſenſu uerum eſt ad maxime longinqua fieri reuulſionẽ.

Galeni locus enarratur.

Quæ uena affectis partib. corporis ſecanda.

*ri debere docuiſſet, mox quæ uenæ affectis pectore ſuperioribus partibus
ſecandæ ſint monſtrat ita ſcribens. Itaq; dolentibus oculis humeralis uo ,,
cata uena, quæq́; ex ea deriuata eſt, in cubito inciſæ, luculentum celeri- ,,
ter commodum adferunt. Dolente uero latere, aut pulmone, aut ſepto ,,
tranſuerſo, aut liene, aut iecore, aut uentriculo, ea quæ per alas ad cubiti ,,
iuncturam pertingit. Hoc autem caſu maxime interior ſecãda uenit, quod ,,
ſi non, certe ea quæ ab ipſa diducta in iuncturæ apparet flexura. Nouiſtis
ſanè paulo ante ab humerali uena prædictã diduci, ipſam connectentem.
Nam hi tres ſunt loci mittendi ex cubito ſanguinis, interior, exterior, me
dius. Igitur interior utilis eſt in ijs quibus inferiores collo partes patiun-
tur Exterior uero in ijs quibus quæ his ſuperiores ſunt, ut facies aut ca-
put. Medius locus interdum utraſq; habet diductas uenas in ulteriorem
brachij partem tendentes, ac deinde hic coëuntes: interim uero celeriter
in unum mutuo congredientes, in ipſo uidelicet iuncturæ flexu, ac non-
nunquàm obſcuram earum alteram, claram uero alteram. Itaq; ubi uena
quæ parti affectæ propria eſt, obſcurior fuerit, & ad mediorum aliquam
accedas, conare, quæ à propria diducitur, potius incidere. Eſt uero ubi
& quæ inferiores ſunt cubiti iunctura, eas quæ in ulna exiſtunt ſcilicet,
nihil ſecare prohibeat, ubi nimirum quæ in cubito ſunt, non appareant,
ſed eas certe quæ in rectum ſunt affectus. Porrò tam perſpicuum ſæpe cele
req́; remedium, quæ e directo affectis partibus uenæ ſecantur afferunt, ut
& qui patiuntur, & familiares ipſorum ſæpenumero obſtupeſcant. Et
paulo poſt quæ in inferioribus pectore partibus uenæ ſecandæ ſint do-
cens, ſubiungit. Hæc itaq; narratio utriuſq; indicationem continet, tum ,,
quod in affectionibus eiuſmodi uenam ſecare oporteat, quod in præſenti ,,
oratione propoſitum nobis haud erat, tum quod e directo laborantium ,,
partiũ, præterea humerales uenas ſecandas, ubi ſuperiores pectore par- ,,
tes laborant. Porrò quemadmodum prædictæ omnes partes in cubito ſe- ,,
cta uena iuuantur, uti dictum eſt, ſic quæ his inferiores, illis quæ per po- ,,
plites & malleolos decurrunt. Sunt autem dictis inferiores coxendix,
uterus, ueſica. At renes cui parti adſcribi debeant ambigunt. Siquidem in
feriores ſunt ijs, quas prius recenſuimus: ſuperiores uero quàm eæ quas*

ſecundo loco. Itaq; miſſo ex cubito ſanguini interdum auſcultant, ubi uidelicet recens fuerit phlegmone, copiaq; ſanguinis affuerit. Quibus uero affectio ineſt quam proprie nephritin nominant, eam quæ in poplite eſt, ſecare expedit, aut certe quæ in malleolis ſunt. Porrò uteri inflammationes magis etiam quàm renum à uenis in crure ſectis iuuantur. Nam quæ ex cubito fiunt euacuationes, aliud etiam habent adiunctum malum, nempe quod purgationes menſtruas comprimant, ſanguinemq; ad ſuperiores corporis partes retrahant. Quæ uero fiunt ex cruribus, tantum abeſt ut retrahant, ut etiam menſes promoueant. Hunc nimirum locum ut produceres conueniebat, atqui cum tibi ex diametro pugnare ſcires, uoluiſti potius alium adferre, quo parum eruditis fucum faceres. Nam ut ingenue dicam quod ſentio, conſtanter equidem credo te nihil eorum quæ in diſceptatione tua frigida producis, ex animo ſcripſiſſe, ſed à Louanienſibus Sophiſtis, qui ad ſcribendum haud aliter quàm ὄνοι πρὸς λύραν apti, ſubornatum te argumenta utcunq; quæſita et excogitata adduxiſſe. Nā qui aliàs fieri poſſet, niſi expugnatus, aut precibus, aut pecunia eſſes, ut tam nullius momenti argumenta proponeres? Itaq; ſatis ſuperq; ex iam adductis Galeni uerbis, quæ uena in cuiuſq; partis corporis phlegmone inter initia incidenda eſſet, diſcere potuiſſes, nec opus erat aliò ut diuerteres, ubi nihil minus quàm hoc ipſum traderetur. Hinc eſt quod imprudenter aberres præcipiendo in recenti uteri, haud aliter quàm renum, phlegmone ad ſuperiora reuellendum eſſe, cum tamen Galenus iam citata ſententia diuerſum doceat, nempe uteri inflammationes magis etiam quàm renum à uenis in crure ſectis iuuari. Præterea ſatis mirari non poſſum quum iecinoris & lienis incipientes affectus recte ad ſuum brachiū reuelli dicas, cur idem non in coſtæ inflammationibus faciendum concedas, cum certe eadem ſit diſtantia in utriſq;, maxime ſi in inferioribus coſtis fuerit phlegmone? Deniq; ſi in angina ſatis eſt contrarium morbo motum moliri, ut tu fateris, non multum naturali exquiſita locorum contrarietate, quare hoc ipſum in pleuritide non ſatis erit, ubi per uenæ quæ edi recto eſt ſectionem, non ſolum ab affecta parte euacuationem, uerum etiam humorum impetum in contrarium uertere molimur? Erras deniq; quod

In uteri inflā-mationibus uena in crure ſecanda.

quod reuulſionem in quibuſdam capitis affectibus ſæpiſsime cum deriuatione coincidere aſſeris, cum ut iam centies fermè diximus, reuulſio ad longinqua, deriuatio autem ad uicina fiat, atq; adeo nequit idem eſſe remotum & propinquum. Recte uero ſcribis quod non tam locī, quàm fluoris ſit perpendenda contrarietas, nam idipſum & nos docemus, neq;, ut tu arbitraris, nimis de locorum contraria oppoſitione certamus, nam aliàs tecum ex aduerſo potius brachio ſanguinem eſſe mittendum contenderemus, aut cum quibuſdam, te plus errantibus, ex crure oppoſito. At inſtās iuguli dolor, incumbens brachij grauitas, materiā ab inferioribus ad ſuperiora ſurripi, & non econtrario monſtrant. Hinc humorum in contrarium motum per uenæ cubiti interioris quæ edirecto eſt ſectionem fieri non poſſe. Hoc nimirum argumento teipſum iugulas, nam ſi humoribus ſurſum fluentibus ſemper reuulſionem deorſum fieri contendis, in pleuritide certe in qua iuguli dolor eſt, atq; brachij grauitas, ex crure potius in rectum poſito, quàm brachio oppoſito reuelles, nam ita in contrarium nempe deorſum, humorū impetum uertes. Vide ut rhetoriceris mi Hieremia, iam tibi potius quàm nobis reddenda eſt ratio cur contrario poſtulato fluxu, crus quod edirecto eſt, ſecari nō debeat. Mirum uero eſt quare in iſtam contemplationem incideris, cum parum referat materia ab infernis uel ſupernis in locum affectum procumbat, modo quàm ocyſsime ſanguinem ab ipſa phlegmone pariter retrahas, pariter euacues.

Fluoris contrarietas perpendenda.

Parum refert à ſupnis uel ab infernis fluat ſanguis.

Proinde rectius ita inſtituiſſes, dolor iuguli, grauitasq; brachij ſanguinē ſurſum tendere, & illic eius copiam colligi demonſtrāt, igitur collecta ſanguinis copia à laborante particula in aduerſum trahi, & celeriter euacuari debet. In hunc quidem modum argumentatur ex Hippocratis uerbis Galenus commentario decimo ſecundi libri, de ratione uictus in morbis acutis dicens. Venæ ſectio undecūq; fiat euacuat à toto animalis corpore, non tamen uelociter neq; æqualiter ex omnibus uenis. Noſtra autē intentio ſtudiumq; eò uertitur, ut à loco phlegmonem patiente, plus ſanguinis ac celerius euacuetur, quàm à reliquis corporis partibus, præſertim in morbis acutis, quod aſſequemur ſecta uena interna, quæ baſilica dicitur, multoq; magis quando redundans ſanguis, uergit ad ſuperiores pe

ctoris partes, aut illic grauitas præſertim in brachio aut mammilla ſentiatur. Clarius hoc idem in præcedentibus agit, quæ quia paulo ante à nobis citata ſunt, ideo hic repetere non libuit. Ex his ſatis innoteſcit cauſa, cur edirecto crus ſecandum eſſe renuamus, nimirum q, unicum hoc nobis ſit ſtudiũ, ut iuxta Galeni conſilium, plurimũ & celeriter à loco phlegmonem ſuſtinente reuellamus & euacuemus, id quod ex cruris edirecto poſiti ſectione fieri non poteſt, euacuatur enim optimus tantum ſanguis qui in pede eſt, ut oſtenſum eſt, & uitioſus in boni uicem ſuccedit. Hic cum ob nimiam diſtantiam uena in crure ſecta ſanguinem à phlegmone neq; celeriter neq; plurimum euacuare ac retrahere poſſit, fit ut illam abhorreamus. Inſultas iterum diſtantiam cauſari non poteſtis, nam dum Galenus per cubitum podagram retrahit, remotior eſt, dum etiam in uertigine, & morbo comitiali ex malleolo aut poplite reuulſionem molitur multo protractior. Sed audi mi Hieremia, qui fit, ut toties à præſcripto tibi diſputationis ſcopo aberres? nobis tecum, ut iterum atq; iterum dicam, de internorum membrorum inflammatiõibus diſceptatio eſt, in quibus ab initio non ſolum reuellendi, ſed & euacuandi intentio eſt.

Cur crus edirecto poſitũ ſecari in pleuritide non liceat.

In morbo autem comitiali & uertigine reuulſionem tantum molitur Galenus, ut morbum anteuertat, quæ profectò reuulſio à remotiſſimis etiam fieri poteſt. Proinde longe alia intentione in interiorum membrorum inflammationibus reuellimus, quàm in dictis capitis affectibus, in quibus minime opus eſt ut à capite euacues, ſed tantum humorum impetum, qui aliquando huc deferri poſſent, auertas. Non erat autem cur podagram obijceres, nam alia ratione Galenus reuellere humorum fluxum non potuit.

Anteuertendo morbum à remotiſſimis etiam ſitu reuellere licet.

In pede enim ut membro affecto non licuit, neq; ſi licuiſſet reuulſio dici meruiſſet, ſed deriuatio. Nullius autem huius in inflammationum initijs uſus eſſe debet, cum Galeno in libro de ſanguinis miſſione authore, incipientibus phlegmonibus medico non tantum euacuare, ſed & reuellere conueniat. Secta autem uena quæ per locum dolentem, uel illi proximum tranſit, non ſolum non relinquitur ſpacium ut auerti queat facultatis excretoriæ impetus, uerumetiam plus ratione per ſectionem excitati doloris ad locum affectum trahitur. Hinc prudenter admodum Galenus capite

In podagra uenam in crure ſecare non expedit.

pite

pite. 95. artis medicæ in hũc modum ſcribit. Si uniuerſum corpus plus æquo plenum fuerit per patientem locum minime euacuandum. Nam ſi ſcarificationibus, aut ſectionibus ſenſibiliter euacuabimus, plus ratione excitati doloris attrahemus. Si uero calefacientibus diſpergere tentabimus plus erit id quod ui caloris ad partem attrahetur, quàm diſperſum. Quod ſi in eo elaborabimus, ut quod influxit retrocedat, corpus plenũ non admittet. Ad hæc igitur ambo totum corpus euacuare oportet, aut omnino ad contraria loca retrahere, quod patienti particulæ influit. Hactenus Galenus à quo certe probe præceptum iam intelligis quod in podagra cubiti, & non cruris uena incidẽda ſit. Rurſus inſtas pleura utrinque maximis patet confluxus iniurijs, eorũ ſcilicet qui in caua uena ſurſum, deorſum mouentur humores, quare ſiue deorſum, ſiue ſurſum retrahere uultis ex confuſa in caua uena humorum mole, aliud inducetis, ſi aliud reuellatis. Optime igitur ac ſagaciſſime natura oppoſitam uenã reliquam fecit, ut quod undiq; in alterum latus procumberet, ipſa ſat retrahere poſſet. At ſcias rationem tuam iſtam plane inualidam eſſe, nam etſi ſanguine ex uena e directo ſita detracto, alius ſuccedat & inducatur is tamen præter naturam minime inducitur. Non obſiſtendum autem eſt ne fluat ſanguis, ſed ne copioſior quàm pars exigat. Proinde quamuis exceſſo ablato in euacuatorũ locũ alij inducãtur humores, hi tamẽ minime præter naturam ſunt. Non mali, deteriores enim euacuati, neq; multi, exceſſus enim ablatus eſt. Quare partes euacuatæ tantum ſolummodo exigent, quantum ad tenuem refectionem ſatis erit. Minus uero attrahent quàm relinquant naturalis analogiæ comparatione: alioqui uis minor traheret maiorem, quod eſt abſurdũ: imbecilliores enim ſunt partes morbo uicinores, & a morbo magis diſturbantur, quàm ſi uires eſſent æquales. Non ergo replebũtur præter naturã uicinæ morbo partes, neq; etiam, quamuis aliud inducatur, is fluxus præter naturam erit, ſed ceſſabit ubi ad analogiam humorum peruenietur, quẽadmodum diffuſius indicauit Briſſotus. Deniq; multo præſtantius eſt, in partibus morbo uicinis eſſe tam modicum alimenti, ut aliunde trahant, quàm eſſe tam multum ut uel in alias pellant, uel trahentibus concedant. Cæterum ne-

Oppoſita uena id quod in alterũ latus procũbit nõ retrahit.

gamus oppoſitam uenam id quod undiq; in alterum latus procumbit ſat retrahere poſſe, nam ut antea etiam oſtenſum eſt, ex affecta parte uel omnino nihil, uel non niſi poſt temporis interuallum, trahit, id certe qđ uenarum ſtamina ſeu filamenta ſatis monſtrant. Non *ſolum autem celerrime à loco affecto retrahendum, ſed & euacuãdum eſſe ex* Galeni *ſententia ſupra monſtrauimus.* Dices *fateor oppoſitam uenam ab affecta parte nihil trahere aut euacuare poſſe, humorum tamen fluxum qui in eam decumbere poteſt anticipando intercepit. At neq; hoc concedimus,*

Excretiones a natura ſecũdũ rectum.

nam cum humorum à membris expulſiones, præcipue pleuritide, ſemper ſecundum rectitudinem fiant: id quod Hipocrates *ijs uerbis* 2. *par.* 6 *Epid. aph.* 7. *confirmat* κατ' ἴξιν καὶ πλευρέων ὀδύνη· καὶ ξυντάσιες ὑποχονδρίων, καὶ σπληνὸς ἐπάρσιες καὶ ἐκ ῥινῶν ῥήξιες. Id eſt Secundum rectitudinem fiunt laterum dolor, præcordiorum diſtenſione, lienis tumores, & ſanguinis ex naribus eruptiones: *non poteris certe humorum fluxum per uenæ oppoſitæ ſectionem intercipere, ſed eius potius uenæ quæ in eo latere exiſtit, per quod in affectã partem decumbunt.* Hinc *conſtat ſanguinem defluendo per uenam cauam, ſeruare eandem differentiam poſitionis, ſcilicet dextri & ſiniſtri.* Proinde *uena dextra inciſa, dextri lateris ſolum ſanguis intercipitur, & expedite euacuatur, non autem ſiniſtri.* Vide *ut omnes elabendi uiæ tibi interſeptæ ſint* Ridiculum *autem et quod iterum ad cubiti in podagra ſectionem diuertis, cum ſatis manifeſtum ſit non licere poplitem ut partem loco affecto maxime uicinam, quemadmodum antea dictum eſt, incidere.* Erras *itaq; uehementer quod nihil aliud putas eſſe latere affecto per coniunctam uenã detrahere, quàm affecto utero aluum ducere, aut etiam afficiente podagra poplitem ſecare.* Nam *affecto utero aluum ducere, & in podagra poplitem ſecare, nihil aliud eſt niſi per partem affectam aut illi maxime*

Deriuatio in principio phlegmonẽ locũ nõ habet

uicinam uacuare, id quod deriuationi peculiare eſt, quæ nimirum in principio phlegmonum locum non habet, quod hæc tantum eorum humorũ, teſte Galeno *lib.* 2. *artis cura: ad* Glauconem, *qui iam membrum obſederunt medela ſit.*] Per *uenam uero cubiti quæ edirecto eſt in pleuritide dũ ſanguinem detrahimus, neq; ex parte affecta, neq; ualide uicina ſanguinem*

nem mittimus, quod utiq; faceremus ſi uenam qua coſtas alit, aut illi proximam nicideremus aut ſi partibus bis ſcarificationes, aut cucurbitulas adhiberemus. Reuulſio itaq; eius uenæ ſectio, nequaquàm deriuatio, ut pueriliter ipſe arbitraris, exiſtit, atq; adeo aliud eſt ex cubito lateris affecti ſanguinem detrahere, quàm affecto utero aluum ducere, aut in podogra poplitem ſecare, cum hoc deriuatio, illud autem reuulſio exiſtat. Ita paſſim in deriuationis & reuulſionis nomine impingis. Neq; obſtat q ſanguinem ex affecti lateris cubito mittendo per uenam coniunctam detrahimus, utraq; enim euacuatio, tam ea ſcilicet quæ eſt reuulſio, quàm ea que eſt deriuatio, per coniunctas uenas fieri debet, quemadmodum ex Hippocratis ſententia lib. 2. ad Glauconem Galenus ita ſcribens docet. τῶν μὲν ἐπιῤῥεόντων ἡ ἀντίσπασις, οὕτω γὰρ ὁ ἱπποκράτης ὀνομάζει· τῶν δ' ἤδη κατειληφότων τὸ μόριον ῥευμάτων ἡ παροχέτευσις ἴαμα· ἄμφω δὲ τὰ εἴδη τῆς κενώσεως διὰ τῶν κοινῶν ποιεῖσθαι κελεύει φλεβῶν. Id eſt, fluentium humorum reuulſio, ſic enim Hippocrates nominat, eorum autem qui iã membrum obſederunt deriuatio medela eſt. Vtrunq; autem euacuationis genus per cõmunes uenas fieri præcipit. Communes autem uenas uocat eas, ut ex ſequentibus Galeni uerbis manifeſtiſſime colligitur, quæ loco affecto coniũctæ ſunt, eumq; è directo reſpiciunt. Sed inſtas uene que e directo eſt ſectio reuulſio eſſe non poteſt, quia nec in contrarium locum nec in cõtrarium motum fit. Ad quam obiectionem ut multis reſpondeã minime opus eſt, ſupra enim ſatis oſtenſum eſt hanc uenæ ſectionem eſſe reuulſionem, ac ad contraria fieri, nam ſanguinem qui ad pleuritidis locum diſceſſit in uenam cauã remeare facit, ecõtrario quàm antea deflueret, & à caua uena extra corpus in partẽ maxime longinquam atq; contrariam. Infœlix itaq; tu qui id deprehendere non potuiſti, ſed deriuationem potius eſſe putaſti. Iam cogitabis quanta temeritate dixeris te luce clarius monſtraſſe eandem uenam ab iocinore influxum reuocare, ad latus uero magis prouocare, adeo ut mireris ſi quid amplius deſideremus. Ego certe ut ingenue fatear neminem uidi unquàm, in tanta præſertim re, te frigidioribus & minoris momenti argumentis diſceptantem,

Communes uenæ.

Venæ è directo ſectio quare reuulſio.

adeo ut nullus ſit qui non te de induſtria apertam ueritatem impugnare intelligat. Cæterum Galenum in interiorum uiſcerum inflammationibus ſanguinem à dextro in ſiniſtrum nuſq̃ reuulſiſſe adhuc conſtanter aſſerimus, neq; enim unum ſaltem locum, tametſi ad externum uſq; te excrucies, in quo contrarium præceperit, producere poteris. Locos enim duos citas nobis nihil aduerſari antea ſatis docuimus. Neq; in uniuerſum reuulſionem quæ à dextris ad ſiniſtra fit damnamus, huius enim aliquando uſus eſſe poteſt, ubi ſcilicet cõtraria non eſt indicatio. Cum autẽ in pleuritide & alijs interiorũ membrorum inflammationibus unicum hoc ſtudium eſſe debeat, Galeno authore, ut celerrime ac copioſe a loco affecto & reuellamus & euacuemus, fit ut huius inter initia nullus eſſe uſus queat, niſi indiſcriminatim reuulſionis ſpeciebus utendum eſſe contendas, quo nihil abſurdius dici poſſet. Quod ad Abenroen hominem illum impium & execrandum attinet, ſcias nos huius dictis nihil moueri, ut quem nemo non mouerit paſſim tam in philoſophicis quàm medicis reb. inſigniter eſſe hallucinatum, adde quem nemo non neſcit impudenter fuiſſe mendacem, ut qui Galenum ac omnes antiquos philoſophos falſo erroris inſimulet, cum tamen nullum unquàm legerit, ignarus græcitatis ac latinitatis. Porro non ſine magna impudentia aſtruis nos non uereri quæuis indiſcriminatim membra ſcarificare, nam produc locum ubi ita docuerimus & minime mendacem te fuiſſe prædicabimus. Probe nimirum nobis conſtat pro affectarum partium diuerſitate, diuerſimode etiã ſcarificationes ac curcubitulas adhibendas eſſe, nec ea in re te monitore aut doctore opus erat. Vrges iterum & nobis tanq̃ nodum tua ſententia, inſolubilem obtrudis quod Galenus 13. thera. oppoſiti cruris ſcarificationem probauerit, tanq̃ remedium quod oppoſitam phlegmonem reuellere poſſit? atq; adeo etiam oppoſitæ uenæ ſectionem, ut quæ non ſolũ ſufficienter exoneret, imo tanto efficatius, quãto ipſa ſcarificatione potẽtior. Verum qui hactenus noſtram tecum diſputationem probe aſſecutus eſt, facile dijudicabit hunc modum nõ ſemel ſed iterum atq; iterum à nobis eſſe diſſolutum. Nam non eandem eſſe uehementis ac uelocis tractionis à loco dolente neceſſitatem in externorum membrorum, & internorum uiſcerum

Galenus in interiorum uiſcerũ inflãmationibus nũq̃ ex oppoſito reuulſione uſus eſt.

Abenroës homo execrãdus paßim nugatur.

Non quæuis mẽbra indiſcriminatim ſcarificanda.

Non eadẽ eſt uehemẽtis ac uelocis tractionis ſemp neceßitas.

uiſcerum inflammationibus diximus. In illis enim ſat is eſt quo uis modo ſiſtere humorũ impetũ, neglecto effecta particula, utpote cui reprimẽtia ac digerẽtia illita ſuppurationẽ prohibere poßũt: adde quod neq; ex ſuppuratione periculum, etiam ſi ſuperuenerit, immineat. In his uero econtrario, nã nõ quouis modo humorum impetũ ſiſtere, nec affectæ parti reprimentia aut diſpergentia adhibere medicamenta licet, ſed q̃ ocyßime humorum præter naturam fluxum à laborante parte nõ ſolum retrahere, uerumetiã euacuare conuenit. Hinc eſt quod in internis inflammationibus neq; uenæ ſectionem neq; ſcarificationem oppoſitam prodeſſe dicamus, quod neutra ex ipſa affecta particula celeriter & trahere & euacuare quod omnium maxime neceſſarium eſt, ſed tantum in corpore humorũ exundantẽ molẽ minuere poſſit. In externis uero utranq; adhibere nihil prohibet, ut in quibus humorum fluxum utrunq; ſiſtere, aut eoſdem ex alia parte in aliam traducere, aut utrunq; minuere liceat. Et hæc indicatio ſumitur partim ex particularũ diuerſitate, partim etiã ex morbi magnitudine, neq; enim eodẽ modo tractãdi ſunt magni & parui morbi. Hinc non temere in reuellendo Galenus phlegmones magnitudinem æſtimandã eſſe monet. Quod autem hæc mens Galeni fuerit, ſatis ex uerborum ſerie, & iecoris exemplo, quod paulo poſt ſubiungit innoteſcit, cum pariter tum reuellendum tum educendum qui ad iecur fluit ſanguinem, interna in dextro cubito inſecta uena, docet, propterea quod et è regione, & ampla uia cum uena quæ caua dicitur, ſocietatem habet. Et ne quis eum tantum, modo de iecoris inflammatione locutum eſſe dicat, mox continuo quodam dicendi ordine aliorum etiam interiorum uiſcerũ exempla ſubnectit, in ijsq; in uniuerſum inter initia uenæ ſectionem edirecto fieri præcipit ijs uerbis. Perpetuo quidem in omnibus, quæ edirecto eſt. Sed hic rurſus nos cõprehendere putas, quaſi præter Galeni mẽtem reuulſionem in eam quæ in longinquũ, & alteram quæ in uicinum diuiſerimus. Id quàm candide facias, ex antedictis luce clarius conſtat, ubi reuulſionem haud aliter quàm tu ſemper ad contrarium ſiue longinquum fieri diximus, & hac ratione uenæ edirecto ſectionẽ eſſe reuulſionem demonſtrauimus non ſolum ueterum, Galeni præſertim, teſtimonijs,

Quare in internis inflammationibus oppoſitæ uenæ ſectio nõ prodeſt.

Reuulſio minime in longinquã & uicinã diuidĩt.

ſed & rationibus. Trahere enim ſanguinem qui à caua uena per coſtarũ uenam ad pleuritidis locum defluxit, iterum à pleuritidis loco per coſtarum uenas in uenam cauam econtrario q̃ antea fluebat, & ab hac extra corpus, quo nihil longinquius dici poteſt, diximus. Tuum itaq; erat oſtẽdere prædictam uenæ ſectionem inter reuulſionis genera non eſſe connumerandam, nec ita temere citraq; iudicium futilibus argutijs non ſolum perdere chartas, ſed & authorum miſere torquere ſententias. Dic per Apollinem oro ubi Galenus utero inflammato cubitum magis, quàm poplitem incidere præcepit? Diuerſum ſane tibi ſupra ex libro de curãdi ratione per ſanguinis miſsionem demonſtrauimus. Diuerſum etiam docet lib. 13. thera. ubi de interiorum inflammationibus loquens ita ſcribit. Renibus uero, & ueſica, pudendo & utero ſic habentibus, eas quæ in cruribus ſunt ſitæ: ac potiſsimum quæ circa poplitem ſunt: Sin minus eas quæ iuxta malleolũ, ac perpetuo quidẽ in omnibus, quæ e directo eſt.

Vtero inflãmato poplitis uena incidenda.

Enarratur Galeni locus

Atqui locum forte putas qui in 2. lib. ad Glauconem eſt, ubi in hunc modum ſcribit Galenus. Et ſi quidem paſsio in dextra uteri parte fuerit, à dextra manu aut crure ſanguinem detrahes: ſi uero in ſiniſtra, à membris quæ illi e directo ſunt. Sed uides hoc loco Galenum de uteri indiſcriminatim affectibus eſſe locutum, in quib. interdum ex manu, inter dum etiam ex crure ſanguinem detrahere licet. Quando autem ex manu, q̃n itidem ex crure detrahendus ſit hoc loco obticuit, proinde ne ſibi pugnantem facias Galenum, ex alio loco eius ſententiã diſcas oportet, ubi nimirũ uteri affectus diſcernit. Id quod facit in libro de ſanguinis miſsione in quo in menſium profluuio cõmode ſanguinem ab utero ad brachiũ retrahi docet. In uteri autem inflammationibus, econtra, ad crus ſcilicet. Verba eius hæc ſunt. Porro uteri inflammationes magis etiam q̃ renum à uenis in crure ſectis iuuantur. Nam que ex cubito fiunt euacuationes, aliud etiam habent adiunctum malum: nempe quod purgationes mẽſtruas cõprimant, ſanguinemq; ad ſuperiores corporis partes retrahãt. Quæ uero fiunt ex cruribus, tantũ abeſt ut retrahant, ut etiam menſes promoueant. Et iterũ in eodẽ libro. Plenitudines à ſuppreſsis menſibus ortas, omnino per crura euacuabis, ſiue uenã ſecare oporteat, ſiue ſcarificare.

ficare. Sectæ enim in cubito uenæ mulierũ reuellere purgationẽ aſſolẽt. Ex quibus ſane uerbis æquus lector facile deprehẽdet qua fide paſſim Galenũ cites, quamq; perdite eundem torqueas, atq; præter omnem æquitatem in tuam ſententiam trahas. Cæterum non probamus in externis inflãmationibus uenæ oppoſitæ ſectionem, ut tu temere nugaris, ſed id tantũ dicimus, ſi quis ex longiſsimis & ſitu diſtantiſsimis ac oppoſitis etiã partibus in his ipſis per uenæ ſectionẽ reuellere tẽtet, nõ tãtũ noxæ, quantũ ſi idem in internis tentet, attulerit, quod, quemadmodum tu etiã fateris, non tam moleſta ſit earum partium affectio, nec tã grauis exitus inſtet, addis quòd propter attrociorem ferè atq; intimiorem partium internarũ dolorẽ humorum fluxus in eas magis ſuperfluat, hinc ab interna q̃ externa particula, nobili quàm ignobili potius reuellendum. Et hæc certe ratio eſt cur ab internis per eam quæ edirecto eſt uenæ ſectionem reuellamus potius quàm oppoſitam, quòd ſcilicet illa omnium ocyſsime à parte affecta reuellat, ita te tuo perpetuo iugulamus gladio. Non perſuadebis uero ut uenæ ſectionem quæ ab eodem latere fit reuulſionem non eſſe dicamus, quũ diuerſum multoties tibi oſtenderimus, adeo ut iterũ referre etiam pigeat. Tu potius cum tuis Louanienſibus Sophiſtis, quibus procul dubio inſtigantibus id diſceptationis munus ſubire infeliciter uoluiſti, contrarium oſtendito, & uictos nos fatebimur. Vide ergo ut delires cũ ſcribis nos non multum ſtudere ut in bubone peſtifero reuellatis, quod huc quaſi in ſentinam quandam natura totum cõtagium ceperit deponere, cum hoc nomine uobis multo maxime ſit reuellendũ, & nõ reuellendum, imò euacuandum etiam ex corpore contagium, id certe quod facitis per uenæ quæ edirecto eſt bubonis peſtiferi ſectionem, tanta autem uos cœcitas occupauit, ut id intelligere non poſsitis. Hinc qua in interiorum uiſcerum inflammationibus non ſolum reuellimus, ſed & euacuamus, ea etiam ratione in bubone peſtifero, nec aliqua adeſt, ut tu temere nugaris diuerſitas, nam ſi qua eſſet, crede mihi non tam obtuſa eſt nobis oculorum acies quin hanc deprehendiſſemus. Erras deniq; quod ſcribis deriuationẽ & reuulſionem non pro inflammationis diuerſitate, ſed influxionis modo, uariari, nam cur alioqui Galenus phlegmonis magnitu-

Nec in externis inflammationibus oppoſitæ uenæ ſectio probãda.

In Bubone peiſtifero eius uenæ ſectione opus eſt, quæ ſimul reuellat & euacuet.

Deriuatio et reuulſio pro inflammationis diuerſitate uariatur.

dinem æſtimandã præcepit? Item quare idem cõmentario decimo ſecun-di libri de ratione uictus in acutis morbis ſcribit: Noſtra intentio ſtudiumq; cò uertitur, ut à loco phlegmonem patiente, plus ſanguinis ac celerius euacuetur quàm reliquis corporis partibus, præſertim in morbis acutis? Vide quàm pulchre Galeni mentẽ aſſequaris, qui in libro etiam de ratione curandi per ſanguinis miſsionẽ, primos mittẽdi ſanguinis ſcopos morbi magnitudinẽ cum uirium robore eſſe ſcribit. Sed demus reuulſionem pro inflammationis diuerſitate nõ uariari, nonne tua hoc modo expugnabitur ſententia? Maxime quidem, cum omnes phlegmones tam internas q̃ externas, cũ Galeno in lib. de ſang. miſsione, reuulſu euacuandas dicamus. Itemq; reuulſiones cum euacuatione adhiberi deberi omnibus influxionibus. Non poſſe autẽ utrũq; efficere uenæ quæ ex oppoſito fit ſectionem, iam abunde monſtratum eſt, nec ipſe inficias ire poteris. Porro mirari nõ poſsũ cur influxiõis modũ ab inflãmatiõis modo ſepares, cũ diuerſitas in his ipſis, quo ad indicationẽ, iuxta tuã ſentẽtiã, nulla ſit. Quid enim ualentem influxionẽ aliud efficere niſi magnam inflammationem dicas? hinc eadem ab utriſq; ſumenda eſt indicatio. Nam perinde ut inflammationes uehementi per patientem locum minime euacuandum, ſed ad contraria lòca retrahendum, & à loco inflammato euacuãdum q̃ ocyſsime erit, ita etiam ubi corpus plus æquo plenum fuerit: tũc enim quia ualenter materia influit, nã ipſe quoq; fluxus impetum pro corporis plenitudine contingere fateris, dico etiã ad contraria retrahẽda erit. Falſo itaq; imo mendaciter nos accuſas, primum quod molliorẽ influxũ per contraria reuellamus, & nõ per uicina. Secundo quòd uehementiorem per uiciniorem cohiberi ſatis putemus, uel ut apertius dicam quò in molliori influxu reuulſione, in uehementiori autem deriuatione utiſtituamus. Neutrum enim ut ſole clarius ex iam dictis liquet, uerum eſt, neq; enim influxum aut inflammationem uehementem inter initia aliter, reuulſione, quæ tamen ſimul euacuet, curandã eſſe docemus. De riuationis aũt tũ primum eſſe uſum, ubi materia tã uehementer membro affecto eſt affixa, decernimus. Quod ſi itaq; recte reuulſionis & deriuationis diſcrimen agnouiſſes, nunq̃ in tam pudenda mendacia incidiſſes.

Influxiõis et inflammationis modum quo ad indicationem non differre.

Exempla

Digitized by Google

Exempla de contrarij cruris ſcarificatione, de inciſione poplitis uel malleoli in capitis affectibus, & cubiti in podagra, ſupra ſatis à nobis cõfutata ſunt. Eradicationis uocabulũ, quoniã probatiſſimis medicis incognitum, & à barbaris tantũ citra omnem rationem excogitatum eſt, plane reijcimus. Cæterum reliqua quæ in tua diſceptatione ſequuntur nihil aliud contendunt, niſi ut in inflammationibus inter initia reuulſione potius q̃ deriuatione utendum ſit, id certe quod & nos docemus. Nam uenæ ſectionem quæ edirecto eſt, ſiue in pleuritide ſiue bubone peſtifero fiat, eſſe deriuationem, perpetuo inficias ibimus, niſi diuerſum, quod minime poteris, oſtendas. Porrò ea quæ in oppoſitæ uenæ ſectionis probationẽ adducis tam puerilia ſunt, ut cõfutationẽ denuo non mereantur, piget enim iterum atq; iterum quod ſatis eam exploſum eſt reuellere. Iterũ nos falſo inſimulas ꝙ internas inflammationes præcoci egere eductione magis q̃ reuulſione nos docere ais, neq; enim eductione tantum, ſed & reuulſione ſimul egere dicimus, nam in idipſum addas, deriuationem, quæ quoq; à loco phlegmone affecto educit, ſufficere dixeris, id quod falſiſſimũ eſt. Ridiculum autem ꝙ euacuationem eandem cum deriuatione facis, perinde ac ſi reuulſio euacuatio non eſſet, cũ tum omnis uenæ ſectio ſit euacuatio. Hinc Galenũ lib. 13. the. tanq̃ nobis aduerſantẽ obtrudis, qui in inflammationibus quæ adhuc in generatione ſunt, priorem euacuatione cõfluentis ad affectum locũ ſanguinis inhibitionẽ eſſe tradit, quaſi eius loci is ſenſus eſſet, in inflammationũ principijs prius eſſe reuellendũ q̃ euacuandũ ſiue deriuandũ, neq; enim ab euacuatione deriuationem ſecernis. Atqui erras modis omnibus quòd phlegmonẽ quæ adhuc in generatione eſt, intelligis eam quæ iam incepit, necdum ad completum incrementum perfectionemue peruenit, cum potius ea ſit quæ nondum incepit, ſed ut mox fiat cauſam in corpore habet, utpote cum pars aliqua calidior eſt facta, aut dolore ob uulnus, cõtuſionẽ, aut ſimile quidpiam, angitur. Id uerũ eſſe nõ ſolũ uerborũ ſeries, ſed & quod mox ſequitur oſtẽdit ita. n. ſcribit. His igitur omnibus æſtimatis, quæ phlegmone adhuc in generatione ſunt, earum cauſas prius abſcindes. Quæ uero iam factæ ſunt, has utiq; curabis ſolas. Quaſi diceret ad phlegmonũ quæ nondum generatæ ſunt prohibitionem ſatis eſt, ſi cauſas earũ abſcindas. Ad eas autẽ quæ iam factæ ſunt

Eradicatio.

Euacuatio cũ dariuatiõe nõ coincidit, hoc enim ſpẽs, illud aũt genus exiſtit.

Galeni locus explicatur.

Phlegmone adhuc in generatiõe quæ

nihil conſultius, niſi ut ſolis intentus ſis, neglectis alijs partibus corporis, quando, ut alibi docet, huic quod maxime urget prius occurrendum ſit. Vide iam quis in ſuã mentem torſerit Galenum, tu potius an nos. Tu certe, nam hunc eſſe uerborum Galeni ſenſum ex ijs quæ ſequuntur in contextu, & exẽpla quo à ſe dicta declarat, conuincemus. Inter cætera nãq; ſic ſcribit. Quod uero eius quicquid in laborante membro continetur in proximas partes repellit, hoc phlegmones iam genitæ medela eſt. Ex quibus uerbis luce clarius fit Galenum iam factam phlegmonem, non cõpletam, ſed quæ iam primum cœpit uocaſſe. Nam quis unquàm reprimentia ſeu repellentia medicamenta poſt cõpletam phlegmones generationẽ adhibuit? Conſtat enim omnibus qui uel à limine tantum medicinam ſalutauerũt, q. repercutientium in phlegmonũ tãtum initijs uſus eſſe debeat. Deniq; ſi de perfecta phlegmones conſiſtentia locutus eſt Galenus cur in exemplo de iecore ita ait. Proponatur iecur iam phlegmonẽ contrahere cœpiſſe: item, ſi qua circa fauces, & palatum, aut linguam, aut deniq; in ore, phlegmone laborare inceperit &c. Quid multis moror? paſſim offendes hoc loco Galenũ phlegmonem iam genitam ſeu factam eam quæ iam incepit nominaſſe. Quamuis quid attinet iſta docuiſſe, cum etiam iuxta tuam interpretationem nihil nobis aduerſetur Galenus. Scribis enim Galenum ſemper ubi opus eſt auertere, hoc eſt, fluxũ inhibere anteq̃ euacuat, hoc eſt, ut ipſe arbitraris, deriuat. Idipſum namq; & nos facimus, primum enim omnium reuellimus, atq; ſimul à loco affecto etiam uacuamus, id quod tua reuulſio ex oppoſito non poteſt. Euacuat equidẽ, at nõ ex latere, multo minus ex parte ægra, ut antea per nos oſtenſum eſt: ſi nõ ex latere eodem, ergo nec phlegmones cauſam abſcindit, cum humorũ fluxus, ut ſupra ex Hippocratis authoritate demonſtrauimus, in pleuritide præſertim, iuxta rectitudinem fiat. Si phlegmones cauſam non abſcindit, ergo nec ad phlegmones quæ nondum generata eſt, probibitionẽ ſatis erit. Recte itaq; in te torqueri poteſt hoc Hippocraticum decretũ: Quæ ducere oportet quo maxime natura uergit per loca conferentia eò ducere: nam cum in pleuritide materia per idem latus à natura in locum affectum pellatur, erit & per eandem partem euacuanda. At dicis nos reuulſioni intendimus, & non euacuationi, Hippocrates autem de euacuatione

Reprimentiũ i phlegmonũ initijs uſus.

Reuulſio deriuationem præcedat.

1. aph. 21.

tione tantum locutus eſt, ob id nobis nihil aduerſatur. Mirum profectò eſt te in id cæcitatis eſſe delapſum, ut poſſe te reuellere per uenæ ſectionē ſine euacuatione putes, taceo quod euacuationem ineptißime eandē eſſe cū deriuationem dicas, neq; enim genus cū ſpecie coincidere, ut ſupra oſtendimus, poteſt, ita perpetuo in uocabulorum ratione, quo in medica re nihil eſſe poteſt abſurdius, hallucinaris. Fatemur itaq; Hippocratē de ſola euacuatione eſſe locutum, at de ea etiam quæ reuellit. Et in hāc ſententiā citatur etiam hic aphoriſmus à Galeno cōmentario decimo ſecundi libri de uictus ratione in morbis acutis. Conſtat, ait, Hippocratē euacuare humores phlegmonem efficientes, per ea loca ad quæ uergunt. Hoc enim uniuerſaliter uerum eſt quod ab eo dicitur. Quæ euacuanda ſunt, eò duci debent, quo natura commode tendit. Id autem ſæpenumero euenit & uarie quidem, pro uarietate partium membranæ coſtas ſuccingētis. Affectis enim partibus eius ſuperioribus conſentit condoletq; iugulus, brachium, mammilla: inferioribus autem ſeptum tranſuerſum, & hypochondria. Et ne quis eum de euacuatione, quæ deriuatio eſt, locutum eſſe tantū ſuſpicari poſſet mox ſubdit. Quū ergo dolor extenditur ad ſuperiora, ſecāda eſt uena in cubito quæ copioſe & celeriter à parte affecta retrahere & euacuare ſāguinē pōt. Iam arbitror nobis permittes quod Galeno facere permiſſum eſt. Vides itaq; ut irritus ſit omnis tuus contra nos conatus, quando neq; deriuationis, neq; reuulſionis rationem probe tenueris, adeo ut tu potius ꝙ nos Andabatarū more clauſis oculis pugnare auſus ſis. Præterea etſi hunc aphoriſmum de reuulſione loqui dicamus, non tñ ideo omnē reuulſionē in idem eſſe moliendam ſequitur, cum cōſtanter adhuc dicamus omnem reuulſionem ad contraria fieri debere, nec eandē tam ab internis, ꝙ ab externis, ut impudenter nugaris, auferimus. Tuum itaq; erit ſequelam hanc docere, id quod nunꝙ poteris. Porro ex iam dictis innoteſcit falſum eſſe quod dicis per uenæ ex oppoſito ſectionē non benignum, imo ſuperfluum ſanguinem qui ad affectā partem inclinabat, educi, nam cum ſuperfluorum in pleuritide excretio à natura fiat edirecto, ut ſæpius iam meminimus, certum eſt in oppoſito latere non eſſe humorem ſuperfluum, nam alias haud ſecus ꝙ in altero latere phlegmonē efficeret. Dato autem quod ſuperfluum educat, nihilominus tamen ex affe-

Per uenæ appoſitæ ſectionem benignū euacuatur.

Vehemētiori primum affectui occurrē-dum.

ſtio latere prius ſanguis emittendus eſſet. Nam cum uehementiori primū affectui occurrendum ſit à medico, euidentiſſimū eſt ut inter initia is ſanguis, qui non ſolum tenſionē, ſed & dolorē immenſum facit, educendus ſit, hic autem eſt qui in affecto latere continetur. Qui enim in oppoſito eſt latere tale nihil efficit, ob id ad eius eductionem non tantopere feſtinandū erit. Hinc recte Gale. cōmē. 10 ſecūdi lib. de rōe uictus in morb. acutis dixit. Noſtra intentio ſtudiūq; eò uertitur, ut à loco phlegmonē patiēte plus ſanguinis ac celerius euacuetur, q̃ à reliquis partib. Animaduerte diligēter q́ ait plus ac celerius q̃ ab alijs partibus, quæ uerba tuam ex oppoſito uenæ ſectionem, ut pote ex parte affecta nihil euacuantē, funditus proſternunt. Negas poſt hæc per uenæ ſectionē quæ ex oppoſito fit uitioſum ſanguinem uſq; in oppoſitum latus induci, quum enim omne agēs in proximum ualentius agat, fieri non poſſe ut id quod in dextris eſt ad ſiniſtrum rapiatur, ſed quod in ſiniſtris adhuc uacillat, & in medijs locis ambigit, leui nec adeo copioſa phlebotomia refertur. Verū equidem eſt, neq; quis inficias ire poteſt, antea ſanguinem proximū qui in ſiniſtris eſt ſequi, q̃ is qui in dextra continetur ſequatur, fieri tamen nō poteſt quin in locum ſanguinis boni uitioſus qui in dextro eſt ſuccedat, quando ex ante dictis ſatis manifeſtū ſit in ſiniſtris ſanguinē non eſſe ſuperfluū, nam hunc aliàs natura ad ſiniſtras coſtas non ſecus q̃ ad dextras detruſiſſet, cū Hippocrate teſte laterū dolores iuxta rectitudinē fiant. Sed dicis ſi quid forte fortuna & præter opinionē à dextro auellatur, nōdū fortaſſis omnino uiciatū erit, q́ recens ualde phlegmone uixq; concepta, nec admodū diu decubuit. At licebit nobis quoq; dicere id quod à dextro auellitur fortaſſis uiciatum erit, ſicut certe uiciatum eſt, quia non ſolū ſuperfluū, ſed etiam corruptū. Hinc eſt q́ non tantū tenſionē, uerūetiam dolorem immenſum excitet. Accedit his q́ partes quæ multo interuallo à loco affecto diſtant, quia uiciniorib. fortiores, reponāt ſi qua in his ſuperflua ſunt, Galeno lib. 3. de facul. naturalib. authore, ad uiciniores, harū aūt unaquæq; ad alias, nec ad imbecilliorem cæteriſq; plus dolētem ſingula decubuerint, ideoq; neceſſario id quod à dextro attrahitur uitioſum erit, utpote omniū aliar ū partium ſuperuacuum. Iterum inſtas, pone uitiatū ſit, non tamen in multum longinquū aut etiam oppoſitum latus ſtatim reuelletur, in proximū

Vitioſus ſanguis in oppoſitū latus trahitur.

forte

ſorte adducetur, quare uel rurſum à natura in eundē locum expelletur.
Incerta ſunt quæ proponis, & imitaris equidem hac ratione Auicennā,
qui paßim ita argumentatur fortaßis ita ſe habet, fortaßis ita ſe nō habet.
Sed iſta miſſa faciamus. Recte quidem coniectas id quod in proximū abdu
ctum eſt, rurſum à natura in affectū locum expelli, ꝗ fortiores ſemper,
ut diximus, ad imbecilliores ſuperflua & uitioſa reponant. Manifeſtum
uero eſt expulſionē hanc nō ſine magno ægrotantis diſpendio fieri, quod
ad phlegmonis incrementū non parum momenti afferat. Rurſus elabi cu
piens dicis, ſi quid iterum reponitur, id per proximā deriuationē nō diffi
cile expedietur. Tibi certe ita uidetur, atq; cogita in quod periculū ægrū
deducas, donec quod uitioſum eſt in uniuerſum detrahas. Quid oro fa-
cies ubi ægrotans talis ſuapte natura fuerit, ut crebram ſanguinis mißio-
nē non toleret? quid deniq; ſi ob uiriū imbecille robur altera uenæ ſectio
adhiberi haud poterit? Nihil arbitror niſi ut hominē neci trades. Dato au
tem quod iam dictorum nullū accidat, quid deriuatione ut tu perperā uo
cas, reuulſio enim eſt, expedies ubi id quod uitioſum eſt, iam tanto tem-
poris interuallo, in parte laborante fixum ac fermè immotum perſiſtit?
Fixum uero ac immotū ut ſit, maxime ubi humorū impetus uehemens fue
rit, nemo ſane mentis negare poteſt. Vehemens autem ut ſit ex tuis uer-
bis conuincemus. Nonne fluxus impetū pro corporis plenitudine cōtin-
gere ſupra dixiſti? Corporis autem adeſſe plenitudinē factum tuū oſtēdit,
nam cur aliàs ex oppoſito latere ſanguinem detraheres, quū ipſe etiā fa-
tearis, Razis in hoc conſiliū ſecutus, corpore non multum ſanguine re-
ferto, ex eodem latere ſanguinē mittendum eſſe. Cum itaq; hoc nomine ui
tioſum, quod in affecto latere eſt infarctum ſit, fieri non poteſt ut facile
euellatur, nam, ut ipſemet fateris, nō niſi per liberaliorē phlebotomiam.
Quàm uero periculoſum ſit illam ſecundo adhibere, iam diximus. Hinc
nos id diſcriminis cauentes primū per uenam coniunctā, & quæ cum affe
cto loco ſocietatē habet, potius ꝙ oppoſitā reuellimus, humorumq; impe
tū hoc modo ꝙ ocyßime à paciente particula auertimus, uitioſumq; quod
illic eſt educimus. Inſtas uero, fruſtra nos putare tam ſyncere unica euacu
atione quicquid eſt uitioſum educere, ut nihil maneat putridarū reliquia
rum. Sed poſſe nos tibi euidenti ratione monſtrabimus. Nonne Hippo-

Signa quæ uitioſum ſãguinem eſſe detractum indicant. crates lib. 2. de ratione uictus in morbis acutis de pleuriticis, in hunc modum ſcribens: Neq; dubites copioſum detrahere ſanguinẽ, donec uel rubicundior multo, uel pro puro rubidoq; liuidus effluxerit, utrumq; enim accidere ſolet: eius rei manifeſta inditia tradidit, nimirũ ſanguinis & in colore et i cõſiſtẽtia mutationẽ. Huic itaq; attẽdẽtes mox uitioſum eſſe detractũ iudicamus, ubi ſanguinẽ mutatũ eſſe cõſpexerimus. Subſcribit Galenus in cõmẽtario eius aphoriſmi dicẽs. Quod uacuatus ſit locus phlegmone affectus, inditio eſt ſanguinis permutatio, quæ eſt euacuatiõis quantitas ſufficiens. Et in lib. de ratione curandi per ſang. miß. inquiens. In quibus iuxta ſectã uenam phlegmone eſt ingens, optimũ eſt ſanguinis & in colore, & in conſiſtentia mutationẽ expectare, ſicut indicauit Hippocrates in lib. de acutorũ uictu, quãdo de pleuritide uerba facit. Alius enim eſt, qui in phlegmone eſt ſanguis, quàm qui ſecundũ naturã, utpote plus excalfactus. Nam ſi antea crudior erat, rubior modo et flauior efficitur: ſin eiuſmodi prius fuerat, ad atredinẽ uergit aduſtione. Rurſus obtrudis, ponamus nihil reliqui faciatis, periculum tamen eſt, ut is qui quantitate, qualitate, ſæpe utroq; naturæ moleſtus eſt huc decidens humor, loci uitioſa qualitate adhuc fumida, necdum omnino extincta, corrumpatur, atq; ita uno euicto malo, alterum paratum eſt non minus rebelle. Quõ autem poteſt remanere loci uicioſa qualitas adhuc fumida, necdum omnino extincta, cum uitioſum uniuerſum expurgatũ ſit. Expurgatũ uero eſſe non ſolũ ex ſanguinis mutatione, ſed et inde colligitur, q. humores uitioſi, cũ adhuc recens phlegmone ſit, neq; ad incrementũ peruenerit, nondum infarcti ſint, ideoq; facile per uenæ edirecto ſectionem educantur, quando coniuncta ſit uenæ quæ partem affectam alit. Sed fac iſta remanere, atq; ita idoneam quãtitatẽ ut iterum phlegmone generari poßit colligi, tunc denuo ex eadẽ uena detractus ſanguis, id totũ expurgabit, præſtat enim Galeno etiã in lib. de ſang. miß. authore, niſi quid urgeat, priori mißione minus detrahere, iterũq; eã repetere, imò ſi lubet & tertio. Perperã deniq; nos accuſas quaſi ob id latus affectũ ab alijs quod ſuperuacaneũ reſtitit non admittere cõtenderemus, q. altero imbecillius ſit. Neq; enim ſimpliciter id aſtruximus, ſed ubi in alijs non ſit ſuperuacuũ quod ſua ſponte reponant, fieri non poſſe, ut ab illis trahat contendimus, q. imbecillius à

Quando denuo detrahendus ſanguis.

fortiori

fortiori trahere nõ queat quod Galeni exemplo demonſtrauimus, nempe duobus æqualiter eſurientib. nõ ſubtrahit manu panẽ alter alteri, niſi ualentior. Ita paßim noſtra inuertis. Quod ſi uero in alijs ſuperfluũ quid fuerit, tunc fatemur tecum hoc totum in affectã reponi partẽ. Cæterũ non ignoramus, multo minus dißimulamus, inflammatũ quãuis ſit alijs partib. debilius, tamen tantũ alia excedere attrahendi facultate, quantũ flammeo calore. Nam hæc ratio eſt cur primũ uenam quæ e directo laborantis lateris eſt incidamus, nempe ut flammeũ hunc calorẽ, qui ut ex omnib. corporis partibus in affectam partem trahantur ſuperuacua, ſi qua in illis ſunt, cauſa eſt, mitigemus, imò etiam q̃ celerrime tollamus. Id certe quod oppoſitæ uenæ ſectio non poteſt, nam utcunq; inter initia ſuccũ eum qui in oppoſito latere male conſtat, uel etiam dum in caua uena uacillat, detrahat, remanet tamen adhuc in affecto latere flammeus calor ac tenſio, quæ ualenter ut humores attrahantur in cauſa ſunt. Proinde cũ calor, dolor & tenſio in affecto latere plus urgeant, fit ut illis primũ etiam à medico occurrendum ſit. Quo facto nihil repugnamus, ubi corporis magna fuerit plenitudo, ſi etiam oppoſitam uenã ſecueris, modo eam quæ e directo eſt prius incidas, multo enim cõſultius redundans quid in oppoſito latere, quàm in affecto relinquere. Vide ut tuo te ſemper iugulemus gladio. Monendus hic rurſus nobis es q̃ nõ ſine magno errore uenã quæ e directo eſt deriuationẽ appelles, quũ eſſe reuulſionẽ abunde à nobis demonſtratũ ſit. Quod ad Galeni ex lib. 4. de tuenda ualetudine locũ attinet, nihil refert etiã ſi de phlegmonoſa laßitudine loquatur, ſatis enim eſt te fateri hoc loco eſſe reuulſionẽ quæ ab interiorib. ad exteriora fit, quã aliàs obticuiſti. Et mirũ profecto quõ in hac laßitudine non ſurſum, nõ deorſum, nõ dextrorſum, nõ ſiniſtrorſum eſſe reuellendũ uideris, & non itidẽ in pleuritide. Vel dic locũ unum ſaltẽ, in quo Galenus in pleuritide reuulſionis quæ dextrorſum uel ſiniſtrorſum fit, uſum eſſe docuerit. Tandem iterum errorẽ tuũ, pudendũ ſane, prodis, eandem ſcilicet uenæ ſectionẽ eiuſdẽ reſpectu eſſe poſſe reuulſionẽ & deriuationẽ dicens, nã id abſurdum, imò impoßibile eſſe iam multoties diximus. Erras etiã q̃ ex eodem latere fieri poſſe reuulſionẽ negas, quũ diuerſum ſupra mõſtrauerimus. Neq; igitur ratione nos uincis, nec authoritatũ numero, ut gloriaris, ſu-

Cur uena e directo inciden da.

Conſultius redundãs quid ĩ oppoſito latere q̃ affecto relinquere.

peras,cũ nec unam rationẽ quæ ad cõuincendos nos ſatis fuiſſet, nullam quoq; penitus authoritatem quæ euidenter tuã ſententiã firmare potuiſſet, produxeris. Inſtas iterũ non eſſe dubiũ quin anteactis temporibus & modeſtiſſimi & doctiſſimi cõplures fuerint, qui eius phlebotomiæ incommodũ animaduertiſſent. Atqui licebit hac ratione eoſdẽ ab omnib. uindicare erroribus, id quod neq; tu admittes, cum nõ raro illos impegiſſe nobiſcũ fatearis. Dicis ſecretiores aliquot errores hos latuiſſe negare non poſſum, ſed tam manifeſtũ, tam noxium omnes potuiſſe ſubterfugere non puto. Non tantũ ſecretiores aliquot errores hos latuerunt, ſed et manifeſti multi. Vnũ indicaſſe ſatis ſit. Quotus quiſq; eſt Aloen ex Meſues authoritate nõ cire ſanguinẽ, nec uenarũ ora aperire dixerit, hoc tamen Dioſcorides & alij ueteres tanquàm erratũ, manifeſtis uerbis explodiunt. Porrò nemo eſt qui omnes ex oppoſita reuulſione perijſſe dicat, plures certe perijſſe certum eſt, & qui perierint ipſe etiam noui, ſi qui tamen conualuerunt, hi non niſi longo temporis interuallo ſanitati reſtituti ſunt, atque hoc eſt cur errorem non animaduerterint, nam hoc modo ex diuturniore morbo illis plus queſtus acceſsit, ampliora'q; cõtigerunt præmia, quæ quantũ hominũ oculos obnubilent, nemo eſt qui neſciat. Quod tãdè ad eos diuertis qui in pleuritide ex cruribus reuellendũ, uel ex brachio oppoſito ad ſanguinis uſq; mutationem uacuandũ ſtatuũt nihil obſtamus, ut qui tecũ eoſdẽ toto cœlo errare dicamus.

Non tantũ ſecretiores, ſed manifeſtiſſimi etiã errores iuniores medi cos latuerũt.

Medicorũ auaritia notatur.

Mirum uero eſt te nondum intelligere cur Gusynerius & alij fermè omnes neoterici uenæ edirecto ſectionem tanto tempore diſtulerint? euidentiſſimum enim eſt non alio nomine idipſum feciſſe, niſi quod dictam uenæ ſectionem deriuationem eſſe putauerint, cuius uſum non eſſe ex Galeno didicerunt, niſi ubi iam fixi in particula affecta humores fuerint. Sic enim ex Hippocratis ſententia lib 2. ad Glauconem docet. Fluentium igitur humorum reuulſio, eorum autem qui iam membrum obſederunt, deriuatio medela eſt. Proinde minus rectè facis quod eoſdem tam uehementer arguis, nam quum tu in eodem cum illis errore uerſeris, conueniebat te ijs paulo æquiorem fuiſſe. Te autem eodem errore detineri inde manifeſtum eſt, quòd haud aliter quàm illi uenæ edirecto ſectionem eſſe deriuationem cenſeas, in hoc uno diuerſus quòd hanc citius quàm illi adhibeas.

Quare neoterici uenæ edirecto ſectionẽ tãto tẽpore diſtulerit.

adhibeas. Hinc fatearis oportet uel te contra Hippocratis & Galeni decreta citius quàm decet deriuatione uti, uel eam quæ e directo eſt uenæ ſectionem deriuationē nō eſſe. Nam ſi deriuatio eſt, non poteris ea primo die uti, imò uix tertio aut quarto, & ut paucis dicam, nō niſi ubi humores iam membrum obſederunt. Erras ergo hanc citius adhibendo, uel deriuationem non eſſe, ſed reuulſionem, dicas oportet. Vide quorſum te adigat uocabulorum ignorantia. Vnicum certe hoc argumentum ſatis eſſet ad cōuincēdā uniuerſam tuā diſceptationē, lis.n.in hoc uno ſita eſt, ut uenæ quæ e directo eſt ſectionē nō deriuationē, ſed reuulſionē potius eſſe oſtendamus, id quod ita præſtauimus, ut uelis nobis in ſententiā noſtrā manib. & pedib. eas oportet. Præterea cōſultius tibi erat Guaynerio Anaxionē pleuriticum ex tertio Epid. Hippocratis nō obieciſſe, quum factū hoc Hippocratis noſtram ſententiam omniū maxime confirmet. Nam ſi huic uena quæ e directo eſt in octauo die ſecta eſt, ſequitur quod hanc uenam, id quod tu negas, reuulſionis, & non deriuationis gratia ſecuerit. Galeno enim in eius aphoriſmi cōmentatione dicente, ſigna concoctionis terminant illud principium quod eſt pars totius morbi. Et in cōmentatione aphoriſmi undecimi 2. par. aph. crudiſſimus morbus eſt in quo nihil omnino expuitur. Quum igitur Anaxion ad undecimum uſq; diem nihil expuerit, ut ex contextu orationis colligitur, ſequitur crudiſſimum uſq; ad eum diem fuiſſe morbum, & ut ſequens eſt, uenæ ſectionem in octauo die, in principio quod eſt pars totius morbi factam fuiſſe. Nec admiratione dignum eſt principium pleuritidis ad tot dies poſſe produci, legenti apud Galenum lib. 1. ca. 18. de criſibus ubi hanc Hippocratis etiam ſententiam explanat, perdurare principiū pleuritidis quoaduſq; pauca & concocta ægrotans cœperit expuere. Quod cum Anaxioni non undecima, ſed tantum in decimoſeptimo contigerit, ſequitur ad eū uſq; diem principium fuiſſe dilatum. Meminit autem huius ſectionis uenæ Hippocrates, alioqui aſſuetus in eo libro tacere præſidia quibus utebatur, quoniam medici: ut ſcribit idem Galenus locum hūc enarrans: ueluti lege quadam ſancitum obſeruabant, ne poſt quartum diem uenam ſecarent. Putandum uero, inquit Galenus, quòd alios ſectione uenæ egētes ſecundo, tertio, quartoue tali remedio curauerit. Cur autē tantum in

Anaxion pleuriticus.

Principium pleurtidis ad plures dies produci.

hoc Anaxione diſtulerit, licet Galenus nõ dicat, forte fuit, quia antequàm diliraret anceps erat Hippocrates an ſecanda uena eſſet, uel purgatorium medicamentum exhibendũ. Viſo aũt delirio in ſexto, & quod grauius ſe habuerat in ſeptimo cum intenſa febre, uehementiore dolore, ſpirandi difficultate, tuſsis moleſtia, atq; praeterea quòd ad calefacientia nulla ſequebatur doloris remiſsio, octauo die uenã ſecuit reuulſionis gratia non deriuationis ad loca proxima, quemadmodum in ſecundo libro uictus acutorum quoq; fecit, ut poſtea dicemus, quoniam adhuc erat morbi principium, nec aliqua praeceſſerat uel naturae uel artis euacuatio. Quid multis moror? non eſt repudianda inter initia uenae eiuſdem lateris ſectio, nam ſimul cũ auerſione euacuat, ideoq; prae ea quae ex aduerſa parte fit, ex Hippocratis & Galeni doctrina, eligenda. Supereſt ut demonſtremus quemdmodũ Hippocratis & Galeni locos tibi obiectos torſeris, nam alia quae interea ſcribis nihil ad nos.

Locus Hippocratis enarratur.

Primum autem Hippocratem libro ſecundo de uictu. acutorum tibi aequiorem facere conaris ita ſcribentẽ. Cum ergo ad iugulum dolor extenditur, aut grauitas uel brachium, uel mammillã, aut partes quae ſupra tranſuerſum ſeptum ſunt infeſtat, interna cubiti uena ſecanda eſt. Neq; dubites copioſum detrahere ſanguinem, donec uel rubicundior multo, uel pro puro, rubidoq; liuidus effluxerit, utrunq; enim accidere ſolet. At ſi eas partes quae ſub tranſuerſo ſepto ſunt, dolor afficit, ſed ad iugulum nõ aſcendit, tum uel nigro ueratro, uel peplio aluus ducenda eſt. Dicis enim multas eſſe coniecturas Hippocratẽ deriuaſſe & non reuulſiſſe. Si enim retrahere uoluiſſet, nequaq̃ materia deorſum declinante, atq; ad ilia decedenti purgatione deorſum per aluũ, ſed ſurſum potius per uomitum id facere ſtuduiſſet. Multo minus ubi nedum iugulum, ſed & brachium fluxus impeteret, ad ipſum amplius brachium adducere uoluiſſet &c. Sed ut omittamus quòd antea demonſtrauerimus eam uenae ſectionẽ non eſſe deriuationem, nos ex Galeni cõmentario & ex ſerie uerborum Hippocratis breuibus tuas coniecturas mendaces eſſe monſtremus Hippocrates profecto in inflammationum initio non tantum reuellere, ſed & euacuare ſolet, proin humores efficientes phlegmonẽ

Hippocrates in inflammationibus non tantũ reuellit, ſed & euacuat.

per ea

per ea loca ad quæ uergunt euacuat. Hinc cum coſtis inferioribus laborãtibus, id aſſequi uix queamus, præſertim natura ſurſum minime uergente, nec grauantem dolorem in iugulo efficiente, ſed potius deorſum tendente, idcirco tunc purgationem uenæ ſectioni præfert, ut quæ ab affecto loco nõ ſolum reuellere, ſed & euacuare poßit. Affectis autem ſupẽrioribus coſtis, conſentit condoletq; iugulus, brachium, & mãmilla, non autem, ut tu putas, eas partes fluxus impetit, ideoq; cubiti uenam in laborante particula ſecat, ut quæ copioſe & celeriter ab affecta parte & reuellere & euacuare queat. In hũc certe modũ Hippo. enarrat Gale. cuius uerba etſi antea quoq; citauerimus, quia tamẽ mire ad tuarũ cõiectu rarũ confutationẽ faciũt, ideo repetẽda duximus. Cõſtat, ait, Hippo. euacuare humores phlegmonem efficiẽtes, per ea loca ad quæ uergunt. Hoc enim uniuerſaliter uerum eſt quod ab eo dicitur. Quæ euacuanda ſunt eò duci debent, quo natura commode tendit. Idautem ſæpenumero euenit, & uarie quidem, pro uarietate partiũ membranæ coſtas ſuccingentis. Affectis enim partibus eius ſuperioribus, conſentit condoletq; iugulus, brachiũ, mamilla: Inferiorib. autem ſeptum tranſuerſum & hypochondria. Quum ergo dolor extenditur ad ſuperiora, ſecanda eſt in brachij cubito uena quæ ſanguinem à laborante particula copioſe atq; celeriter reuellere & euacuare poßit. Ex quibus omnib. ſatis conſtat ſimplicẽ reuulſionem non ſufficere in phlegmonũ initijs, ſed quæ ſimul euacuat, atq; hinc eſt quod ad ſanguinis mutationẽ educere dixit expediens, ut ſimul cũ reuulſione euacuationis etiam modum exprimeret. Vide iam ut pulchre tuæ coniecturæ ſeſe ad Hippocratis & Galeni mentem accõmodẽt. Si enim celeriter hæc laborãtis lateris uena incidenda erit, certũ eſt aliam non præcedere debere. Quod ſi uero nulla alia præcedat, id quod apertißime contextus demonſtrat, & paulo ante ex Anaxionis hiſtoria etiam docuimus, euidentißimum eſt hanc uenæ ſectionem reuulſionis gratia, & nõ deriuationis ab Hippocrate factã, & ut alij facerent præceptam, falſo deniq; ex iuguli, brachijq; dolore cõiectas non ſolũ materiæ motum ſurſum, ſed & phlegmonẽ confectã eſſe, nam, ut diximus, uicinorum grauitas nõ ſimpliciter motũ ſurſum, ad eas præſertim partes quæ grauitate afficiuntur, fieri indicant, ſed quia per conſenſum afficiuntur,

Dolor iuguli et brachij nõ re phlegmonis confecti ſigna.

ideo motum ſeu impetum humorum ad ſuperiores partes coſtarum fieri monſtrant. Non autem phlegmonem eſſe confectam ſignificare euidentius ferè eſt q̃ ut oſtendi debeat. Quomodo enim confecta ſit, cũ Hippocrates mox oborto dolore calorificis dolorem diſſoluere tentarit, eaq; ſpe fruſtatus ne acrior ex dolore fieret defluxio, celerrime ad eius uenæ ſectionem, quæ plurimum ac celeriter à loco ægrotante & retraheret et euacuaret peruenerit, adeo ut credibile nõ ſit Hippocratem uſq; ad confectam iam phlegmonem uenæ ſectionẽ diſtuliſſe, quã mox ubi ex partiũ conſenſu ad ſuperiores coſtas ferri humorũ impetũ animaduertit adhibuiſſe manifeſtum eſt. Deniq; cum pleuritidem iuxta rectitudinem fieri ſciamus, non eſt, quemadmodum tu temere ſuſpicaris, ut id quod in dextro eſt ad ſiniſtrum reuellere tentemus. Cæterum impudentiſſimum mendaciũ eſt Galenum in libello de phlebotomia deriuationis tantum loca, nõ autem reuulſionis unicuiq; affectæ particulæ inuenire inquiſiuiſſe. Nam ſi id uerum eſt cur mox tanq̃ epilogo antea dicta cõplectens ſubiungit. Porro ut ſummatim dicam, incipientes phlegmonas reuulſu euacuare oportet: quæ uero inueteratæ iam ſunt, ex ipſis ſi fieri poteſt, affectis partibus. Quod ſi nequeat, ſaltem ex uicinis. Etenim in incipiẽtibus auertere quod influit expediens eſt, in inueteratis autem, ipſum tãtum quod affectæ parti infixum eſt, euacuare. Et paulo poſt. Quippe reuulſiones cum euacuatione adhiberi magis debent in fluxionibus incipientibus. Quæ uero fiunt ex ipſis partibus affectis, aut illis uicinis, in phlegmonibus quæ uelut ſcirrhi naturam referunt Quæ ſane Galeni uerba non ſolum docent eum de reuulſione, at ea quæ ſimul euacuat, locutũ eſſe ſed noſtram etiam ſentẽtiam, ſcilicet in inflammationibus inter initia non ſolam reuellendũ, ſed & euacuandum eſſe, confirmant. Quare uniuerſæ noſtræ diſceptationis ſcopus his uerbis explicatur, nempe non ſimpliciter in phlegmonũ initijs eſſe reuellendũ, ut tu perperam contendis, ſed ſimul etiam uacuandũ. Quare rectiſſime Galenus in affectibus qui ſupra collum ſunt humeralem ſiue externam uenam ſecandam eſſe præcipit, in ijs qui inferioribus ſunt, poplitem aut malleolam, at qui in medijs internam, quòd quælibet earũ à loco affecto & reuellat & euacuet. Erras itaq; toto cœlo ꝙ non omnes iam dictas uenas ea facultate preditas eſſe ais, quando

Galenus in li. de phlebotomia non deriuationis tantũ loca inquiſiuit.

Summa totius diſceptationis.

ais, quando quælibet earum in contrarium humorũ impetum, ut ſupra demonſtrauimus, uertere poſſit. Porro nemo eſt ſanæ mentis qui Galenũ neget à dextro in ſiniſtrum, & econuerſo reuulſionem præcepiſſe, ea tamen in inflammationibus inter initia uſum non eſſe ex eiuſdem uerbis iã demonſtrauimus, ſimpliciter enim reuellit, nec euacuat à loco affecto id quod in incipientibus phlegmonibus ſimul fieri debet. Ad locum Galeni ex capite de reuulſione accedamus ubi inquit. Remedia reuulſoria ſunt incumbente in pectus, aut uentrem humore, ad manus retractio. Quem æquiorem tibi facere ſtudens ais. Non ſtatim ſequitur in dextrũ brachiũ reuellendum eſſe quod in dextrum latus decurrit, ſi id quod in uentrem pectusq́; irruit ad manus retrahi uoluit. Recte quidem cõiectas, uerum cum is locus uniuerſalis ſit, quo pacto in dictarũ partium inflammationibus intelligẽdus ueniat, in particularibus Galenus edocuit, nempe 13. therа. ubi ita præcipit. Si iecur, pectus, pulmo, aut cor phlegmone laborare incœperint, incidere internam. Et ne quis oppoſitam interpretaretur, mox ſubiungit. Ac perpetuo quidem in omnibus, quæ e directo eſt. Atqui ais inconſtantiæ hoc pacto accuſandus uenit Galenus, qui ſtatim poſtea id quod in dextrũ it, ad ſiniſtrum reuellendum eſſe monet. Minime inq̃, non enim in omnibus ex æquo affectibus reuulſionẽ à dextris ad ſiniſtrũ, & econuerſo, locũ habere dixit, nam cur aliàs reliquas etiã reuulſionis ſpecies enumeraſſet. Proinde quod ſine aliqua determinatione in uniuerſalibus ab eo ſcriptum eſt, id ex particularibus definiendũ erit, ubi nimirum diſpoſitiones in quibus quodlibet eorum quæ ſine determinatione dicta ſunt, conueniunt, inquiruntur, indicanturq́;. Quod ſi non obſerues, dictu mirum in quos errores te præcipitem conijcias. Et ut altero exemplo id oſtẽdamus, nonne Hippocrates in aphoriſmis ita ſcribit. Dolores oculorum meri potio, aut balneum, aut formentũ, aut uenæ ſectio, aut medicamentum epotum ſoluit: quod ſi uero eodem indiſcriminatim cuiuis dolori oculorum adhibeas, mirũ in modum incommodabis. Pari ratione nõ cuiuis affectui reuulſio quæ à dextris ad ſiniſtra, & econuerſo fit, conuenit, ſed huic illa, huic uero altera quædam reuulſionis ſpecies adhibenda erit, quemadmodum in particularibus edocet Galenus, proinde nõ eſt ut inconſtãtiæ hunc inſimulare queas. Poſtremum lo-

Galenus reuulſione per uenæ in oppoſito ſectionem in phlegmonũ initijs nõ eſt uſus.

Galeni locus enucleatur.

Quod ſine determinatione dictũ ex particularibus definiendum.

6 aph. 31.

Reuulſionũ ſpecies haud indiſcriminatim adhibendæ.

cum ex libro de phlebotomia producis, quem more tuo tractas, hoc eſt, torques atq; retorques pro animum tui ſentētia, hunc autem tibi pugnare ſupra etiam ſatis demonſtrauimus Verum ne non in omnibus tibi ſatis factū eſſe dicas, & illum ipſum prolixius tractabimus. Locus Galeni ſic habet. Quibuſcunq; κατ' ἴξιν eruptio ſanguinis accidit, ſummum id cōmodum laborantibus adfert. Hoc autem κατ' ἴξιν quod in rectum intelligatur, omnibus confeſſum eſt. Quibus uero cōtra euenit, nihil iuuat, aut etiam interdū nocet, quod uires ſcilicet citra morbi leuamē deijciat atq; exoluat. Non enim in liene turgente ex dextra nare erumpens ſanguis, nec in iecore ex ſiniſtra ullam fert utilitatem &c. Galenum tibi ijs uerbis nihil aduerſari putas quòd de ſanguinis eruptione nō tanq̃ reuulſorio, ſed iudicatorio auxilio locutus ſit. Atqui cum in inflammationibus medici ſtudiū nō ſit ut tantum reuellat, ſed celerrime etiam ſimul euacuet, cogitare debuiſſes hoc nomine tibi magis aduerſari Galenum. Si enim de iudicatoria ſanguinis eruptione locutus eſt, quæ, teſte Galeno in libro de criſibus, ſi bona ſit per directū fieri debet, & medicū naturā probe ſuo munere fungentē imitari oporteat, ſequitur quòd etiam edirecto ſibi & reuellendum & euacuandū ſit, nam & idipſum natura cuius ipſe miniſter eſt facere conatur. Hinc recte Hippocrates monet: Qua ducere oportet, quo maxime natura uergit per loca conferentia eò ducere. Non coincidit cū deriuatione reuulſio, ut centies iam monuimus, quod idē nō poſsit eſſe uicinum & propinquū, ſed cum euacuatione, id quod te intelligere hactenus haud potuiſſe nō ſatis mirari poſſum, cū idipſum ex cōmentario Galeni in decimū ſecundi de uictus acutorum ratione aphoriſmum, diſcere debuiſſes. Denią; cum de reuulſione memoratarum partium aliquid in contextu ſequi animaduerteres, mutilum eſſe locum diceres neceſſe fuit. Etſi uero dum hæc meditarer Galenus græcus, quod tūc domi nō fuerim, ad manum nō erat, ut genuinā tibi oſtenderem ſententiā, tamē utcunq; legas certum eſt Galenū hoc loco ab exemplo naturæ, quæ in iudicationibus bonis per directū noxia excernit, colligere reuulſionē quæ in inflammationibus adhibetur, edirecto lateris affecti fieri debere. Idq; uerum eſſe pleuriticorum & oculorum dolentium exemplo docet dum inquit. Quin & pleuriticis, quæ edirecto laborantis lateris

Medicus naturam probe ſuo fungentē munere imitetur.

2. aph. 21.

adhibita fuit ſanguinis miſsio, clariſsimam ſæpe utilitatem attulit: quæ ue
ro ex brachio, oppoſito, aut omnino obſcuram, aut certe poſt temporis
interuallum. Adhæc oculorũ perſæpe grauiſsimos dolores edirecto ue-
næ, quã humeralẽ nominant, ſectio intra horæ uniꝰ ſpacium cõpeſcuit.
Nec ualet quod dicis Galenũ eõs duntaxat ijs uerbis reprehendiſſe, qui
per opoſitam uenã nõ ſolum reuellere, ſed & deriuare poſſe ſibi perſua
ſerunt, quales & adhuc noſtro ſeculo durare addis. Nam quis non uidet
id tuum eſſe commẽtum, cum Galenus ne per ſomnium quidem quod fin
gis cogitauerit, id quod cuiuis uerba eiuſdem excutienti euidentiſsimum
erit. Porrò tandẽ te ipſum iugulas eum ais: non ergo reuulſionis, ſed eua
cuationis ab oppoſita uena tulit fœlicitatem, nam idipſum eſt cur illa nõ
incidamus inter initia, ſed aliã potius quæ non ſolum reuellere ſed & e-
uacuare poſsit, eam ſcilicet quæ edirecto eſt. Quid multa? Omnes tuæ
rationes huc tendunt ut monſtres Galenum plus euacuationi q̃ reuul-
ſioni ſtuduiſſe, nos uero utriq; in phlegmonũ initijs ſtuduiſſe, & ob id
uenam quæ edirecto eſt incidiſſe euidenter demonſtrauimus. Hinc, ut Epilogus.
ſummatim dicam, erras quòd reuulſionem ſimpliciter ſufficere cõtendis,
quodq; deriuationem cum euacuatione confundis, adeoq; putas nunq̃ ni
ſi deriuatione euacuare poſſe medicum, id quod dicere abſurdiſsimũ eſt,
quod nõ raro utrunq; una uenæ ſectio præſtare queat. Fallcris itaq; tu
qui paſsim Galenum deriuaſſe aſſeris, ubi euacuauit, nec euacuationem
à deriuatiõe diſcriminas. Lege igitur, perlege, relege uniuerſos Gale. &
Hippo. libros, nihil certe inuenies quod nobis aduerſetur. Vellem au-
tem iotam ſaltem produxiſſes ex Galeno quæ manifeſte tuam ſenten-
tiam aſtruxiſſet, & pedibus in eandem nos pertraxiſſes. Non eſt
itaque quòd pertinaciæ nos accuſare queas quum omnes locos quos in fi
ne diſceptationis inutiliter repetis, te perperã intellexiſſe, & contra Ga
leni mentẽ in tuam torſiſſe ſententiã demonſtrauerimus. Inſigne hoc men
daciũ tranſilire non potui q̃ ſcribis cubiti uenã menſes citare ex Galeni Cubiti uena
authoritate poſſe, quũ is ipſe plane cõtrariũ aſſerat. Ita enim in lib. de ſan inciſa mẽſes
guinis miſsi. ait. Quæ ex cubito fiunt euacuationes, aliud etiã habent ad- cohibet.
iunctũ malum: nempe quòd purgationes, menſtruas cõprimant. Certe ſi

uel unicā pudoris haberes, tam perdite tāti uiri authoritate abuti nō debe res. Sed id ut faceres coēgit te peruerſa ueterū interpretatio, atq; adeo cum eoſdē à cōtradictione, à qua alieniſsimi ſunt, uindicare ſtudes, facis ut te plane in ijs nihil intelligere ꝓdas, uel ſi ītelligis, certe de induſtria te in Louanienſiū gratiā ueritatē oppugnare indicas. Atque ut finem tandē faciamus, cū honeſtiſsimā eſſe contentionē fatearis quæ ueritatis amore ſuſcipitur, non ægre feres ſi quando immodeſtius tecū diſceptauerim, nā huc me ueritatis pertraxit ſtudiū, cui nihil poſthabere uir bonus atq; ex animo pius debet. Ego uiciſsim, tantum abeſt ut me tibi infenſum habeas, ego gratias q̄ maximas q; me in hunc tecum diſceptandi campum prouocaueris, nam ea re effeciſti ut hodie multo ſim certior in inflammationū initijs ueuæ edirecto ſectionem prodeſſe q̄ antea fuerim unquàm. Et non diffido ſi ut ueritati patrocinaretis hanc diſceptandi prouinciā ſubijſti, quin ſtatim in noſtram ſententiā iturus ſis, quando in alijs, quod ſciam, nihil à nobis diſſentias. Quod ſi uero te acerbius q̄ par ſit tractatum eſſe putes, cogitandum erit uerum eſſe quod paſsim decantatur. Qui quæ uult dicit, quæ nō uult audiet. Deus optimus Maximus tibi ac nobis eum det animum qui perpetuo ad ueritatem aſpirare uelit.

F I N I S.

In nuncupatoria Epiſtiſtola Apologiæ, pro uocabulo Alpes paſſim montana ſubſtitues.

MATTHAEI

526121